

EX BIBLIOTH.
NATIONIS HUNGAR.
VITEBERG.

II 175

SIGNAT. c1515 CCCXIII.

Bibliothek
d. UNIVERSITÄT J. STETTS
an der Univ. Berlin

HW 1576

Bibliothecae Ungaricae
Vitebergensi

d. d.

J. Matthias Schreckh.
Prof. Histor.

Vitebergae, A. C. MDCCLXIV.
Cal. Junii.

ADAMI FRANC. KOLLARII,

*Equitis Vngari de Kereszteny, Consiliarii
actualis aulici, Aug. Bibliothecae Directo-
ris & Academicæ Scientiarum elegantio-
rumque literarum Theodoro-Palatinæ
Socii extraordinarii*

HISTORIAE IVRISQVE PVBLICI
REGNI VNGARIAE
AMOENITATES.

A D

EXCELLENTISSIMVM DOMINVM
ANTONIVM COMITEM KAROLYI
DE NAGY - KAROLY,

Complurium Herediorum Dynastam, Augusti Imper-
atoris Iosephi II. Consiliarium intimum, Diuae
M. Theresiae Aug. militaris Ordinis minoris
crucis Equitem, et vnius Legionis Vngaricae
Tribunum, &c. &c. &c.

VOLVMEN I.

VINDOBONAE,
TYPIS A BAVMEISTERIANIS.

CIDICCLXXXIII.

Ung II 275

EXCELLENTISSIME COMES!

Nullum mihi dubium est, quin maturus sis, cur perpaucas atque exiguae has plagulas, splendidissimo nomini Tvo inscriptas, in publicam lumen proferre ambiverim; miri igitur consilii mei rationes jam cognosce. Lucubratiunculae, quas nunc edere instituo, de patriis rebus sunt omnes; non modo autem sperabam, sed confidebam etiam, eas universae genti nostrae placituras esse: videntur enim mihi & novitatis habere gratiam, & vetustatis auctoritatem, ac propterea civibus nostris & prodeesse fortasse, certe honestissimae voluptati esse posse. Lu-

A 2

cu:


cubratiunculas igitur , quas universæ
Vngariæ gratas fore non desperem, cui
potissimum, quam TIBI EXCELLEN-
TISSIME COMES, TIBI, inquam, re-
rum patriarcharum studiosissimo & nationis
TVAE amantissimo dedicare debueram?
Habui præterea rationem IOSEPHVLI
Tvi, filii unici, dulcissimi juventutis
Vngaricæ ornamenti, quem jam nunc
in his severioris legum rerumque no-
strarum doctrinæ progymnasmati ex-
erceri omnino percupereim. Ad per-
paucas exiguaeque phlyras quod atti-
net, is quoque ipse IOSEPHVS TvvS,
delicie TVAE, causa est, quem majori
volu-

volumine terrere nollens, tanquam per
jacentem clivum ad penitorem rerum
nostrarum cognitionem ducere vole-
bam. Habenda quoque mihi fuit mei
ipsius ratio; verebar enim, ne, si quid
majoris operis incepisssem, ad vitæ lineam
ultimam prius, quam ad libri finem per-
venirem, quo meo consilio neque mul-
tum postumi operis periturum provi-
deo, & fidem tamen, quam me TIBI
dare memini, præstaturum spero. Has
itaque causas, TV EXCELLENTISSI-
ME COMES, judicio Tvo, ingenua-
rum artium studiis politissimo, ut con-
probes, etiam atque etiam rogo, quæ-

soque, præsertim cum hoc primo vo-
lumine typis jam vulgato consilium
meum mutari nequeat. Erit hoc no-
vum singularis TUAE erga me benevo-
lentiæ testimonium, quam ut mihi in
perpetuum conserves, abs TE peto.
Vale COMES EXCELLENTISSIME,
& me vel ultimo familiarium TVORVM
loco hærere sine.

D. Vindobona pridie Idus Ja-
nuarias Anno post Virginis partum
CICICCLXXXIII.

HISTO-



HISTORIAE IVRISQVE PVBLICI
REGNI VN̄GARIAE
AMOENITATES.

P R O O E M I V M .

Obscuriora quædam historiæ nostræ jurisque publici loca, opera mea jam pri-
dem illustrata, & adhuc in scriniis reten-
ta cum civibus meis communicare consti-
tui. Debui hoc officium, imino pietatem,
patriæ meæ carissimæ, quæ me nascentem
placido primum vultu exceperit, materna-

A 4

que



que vagienti ubera præbuerit; quæ deinde pia sollicitudine nutriverit, atque adolescentiam juventutemque meam ingenuas artes benevole docuerit; quæ denique virum propter jura sua, a me defensa, novo domicilio novoque heredio donaverit liberalissime. Tot tantisque causis impulso, & obstricto beneficiis, cogitandum profecto mihi fuit, quodnam potissimum grati animi monumentum posteris relinquem, ex quo & utilem civem, & gratum hominem me fuisse, facile intelligerent.

Hujusmodi igitur monumenti vel spe, vel desiderio, deligere mihi placuit, historiæ nostræ jurisque publici quæpiam loca, quæ scilicet adhuc aut ignota omnino esse viderentur, aut non penitus explorata; & quæ, affusa majori luce, non modo lectu jucunda esse possent, sed scitu etiam perutilia. Hoc consilio primum omnium

omnium de moribus, deque arte ac disciplina militari eorum Vngarorum scribere decrevi, a quibus regnum nostrum est conditum, & quibus ingenuam liberamque posteri vitam referre debemus acceptam.

Nam incredibile dictu est, quanta verborum licentia in eorum genus, mores, & arma incurerint quidam scriptores exteris, simul atque nostri in Pannoniis fuere conspecti, quorum equidem scriptorum non maledicta modo, sed ipsa quoque illorum obscurissima nomina censeo esse indigna, quæ hic a me commemorentur. Libentissime contra semper meminero illius augusti scriptoris, cuius fide atque auctoritate detonsi otiosique monachi omnes, inscitiae melevolentiaeque suæ facile convincantur.

Is vero est Imperator LEO, cui *Sapienti* cognomen fuit, qui primis nostris

A 5

Vn-



Vngaris , bello Bulgarico , sociis usus ,
multo exploratoria , quam columnarii , ac
subrostrani illi memoriae prodidit ; de quo
etiam præponere quæpam ante placet ,
quam aureum ejus de nostris Vngaris lo-
cum in medium protulero .



SECTIO



SECTIO I.

DE

MORIBVS DEQVE ARTE AC DIS-
CIPLINA MILITARI VETERVM VN-
GARORVM.

CAPVT I.

*De Imp. Leone Sapiente, cui hoc historie-
ma debemus.*

I.

Imp. LEO Sapiens, imp. Basili Macedonis
filius, praeceptore usus est Photio, qui post-
ea Constantinopolitanus Patriarcha factus
inter Orientis Occidentisque ecclesias tristis-
simi discidii auctor fuit. Ab hoc, cetera do-
ctiss.



Etissimo clarissimoque viro, omni liberali doctrina eruditus fuit Leo noster; propter quam etiam magis, quam de morum sanctitate Sapientis cognomen fertur esse adeptus. Basilio Macedoni patri, successit Leo anno a Christo nato 886. Kal. Martii; rerum potitus est annos quinque & viginti; persolutoque naturæ debito ad plures abiit V. Idus Maii anni 911. Habuit imperium timoris & miseriarum plenum; quod ab Oriente quidem Saraceni, id est Mohammedani Arabes; ab Occidente autem gens Slavica, robustissimi Bulgari, non un modo urbi, sed universo imperio extium perpetuo minabantur. Etenim erat hoc discrimen eo etiam gravius, quo salutis spes, neglecta veteri Romanæ militiae cura, in exercitu pene nulla erat. In tanto discrimine versatus LEO intelligere coepit, salutem Reipublicæ nullis aliis consiliis, nisi quæ a literis, quarum erat studiosissimus, peterentur, se praestare posse. Ducum igitur suorum gratia, quo veterem disciplinam & Tacticen ipsam quasi ex fuga retraheret, de re militari librum, *Tacticorum* titulo inscriptum, scribere

con-

constituit. Pervenit feliciter is liber usque ad nos, & ab omnibus doctis ducibus magni sit lectoraturque diligenter. Elucet ex illo maxime perspicacissimum Leonis ingenium, peritia armorum singularis, experientia summa, longo scilicet usu quæstra, præceptorum vero monitorumque tanta, tam selecta copia, ut quidquid perfecto duci scitu necessarium sit, id omne in hunc unum librum congestum esse videatur. Sed eam illius libri partem semper maxime sum admiratus, in qua de variis variarum gentium acies instruendi & bellagerandi modis copiose differit, & earum quoque gentium mores atque instituta, quantum quidem ad rem pertineat, diligenter exsequitur. Est vero, quod vehementer doleas, præstantissimum hoc opus, nondum pro dignitate utilitateque sua, esse typis vulgatum. Græce simul & Latine lucem quidem viderat Lugduni Batavorum an. 1612. quarti folii forma, operam commodante Joanne Meursio, Viro clarissimo, qui meliorum calamo scriptorum exemplarium inopia, ita mendis fædatum contextum ac mutilum proferre in

lucem



lucem coactus est, ut, si quis totum Leonis opus recte intelligere velit, ei, aut correctior editio præstolanda sit, aut a scriptis libris auxilium petendum. Nos quidem ejusmodi scriptos libros in Augusta Vindobonensi nostra servamus omnino tres, quorum tamen facile princeps est is, qui in manu scriptorum librorum classe Philosophica, a Lambecio digesta, est centesimus decimus quintus, quem is ipso Leonis Sapientis ævo scriptum esse existimabat; certe me quoque judice, seculo decimo junior non est. De hoc codice Lambecius diligenter differuit Commentariorum nostrorum Lib. VII. editionis meæ pag. 454. ubi jam tum hunc Leonis Sapientis de Vngaris locum fideliter indicaveram; quem eriam post paullo ex eodem præstantissimo codice Græce una cum meæ versione Latina legendum proponam.

II. Biennio ante, quam Leo Sapiens relictum a patre thronum occuparet, Vngari nostri, immensis itineribus ex Asia profecti, tandem in Moldaviam vicinasque regiones pervenere. Non multo deinde post,

post, scilicet anno 889. partim precibus,
partim muneribus inducti, socia arma cum
Imp. Leone Sapiente conjungunt, traje-
ctoque Danubio Bulgaros terno prælio
vincunt, universamque Bulgariam depopu-
lantur. Hoc igitur est illud memorabile
tempus, quo Imp. Leo, primorum Vn-
garorum mores, artem disciplinamque mi-
litarem cognoscendi pulcerrimam occasio-
nem, ut ipsem confitetur, natus est.
Nusquam quidem is in suo Tacticorum li-
bro illos proprio Magyarorum, Vgrorum
vel Vngarorum, sed semper Turcorum
nomine appellat; a vestitus fortasse corpo-
risque habitu, vel certe consuetudine eo-
rum temporum, quæ unum & idem no-
men pluribus diversis gentibus tribuere
fuere solita, altum adhuc dormiente eth-
nologia, longum post tempus linguarum
studio excitanda: at ætate nostra docto-
rum hominum nemo jam nescit, exeunte
seculo nono, & decimi initio, Vngaros
nostros alieno Turcorum nomine fuisse
notos, ut ex Porphyrogenneto, Leonis
Sapientis filio, ceterisque rerum Byzanti-
narum scriptoribus sole meridiano clarius
elut.



elucescit. Id ipsum facile quis discat ex scriptoribus cum Arabicis tum Turcicis; etenim Abul - Faradschius , percelebris Arabum scriptor, in Arabicarum Dynastiarum epitome sua , anno 1663. typis Oxoniensibus vulgata , pag. 185. memoriae prodidit, Turcas Othomanidas, qui nunc Constantinopoli veteris Imperii Graeci regnis & provinciis potiuntur, anno Hidscheræ 291. Christi autem 903. in regiones, trans Oxum flumen sitas , primum advenisse: at vero Vngari nostri Turcarum quoque tum nomine noti, cum Imp. Leone Sapiente jam pridem in Europa contra Bulgaros bellum gesserant. Eodem auctore TurcasOthomanidas in Asia minori non prius a Graecis esse cognitos, quam seculi a Christo nato decimi tertii initio, Saadeddinus testis est ; hic enim longe celeberrimus Turcarum scriptor, in Latinum a me idioma maximam partem conversus, diserte ait: Orthogrulem, Turcarum Othomanidarum ducem, sub initium seculi tertii decimi ad Alaëddinum Arabem, Iconii Sultanum, cum gente sua commigrasse, & ibidem anno Hidscheræ 680. Christi vero

1281.

1281. nonagenario majorem diem suum ob-
ivisse. Igitur Imp. Leone Sapiente, rerum
Constantinopoli potente, procul adhuc
Turcæ Othomanidæ ab Europæ finibus ab-
erant, & in Armeniæ provincia, Achlat
dicta, diu sunt commorati, dum denique
ad Iconii Sultanum migrarent. Certum
itaque atque exploratum omnibus esse de-
bet, ea omnia, quæ cum Imp. Leo Sa-
piens, tum Porphyrogenetus, ejus filius,
de Turcis ætatis suæ scripsere, ad Turcas
Othomanidas, aut quovis alias nihil omni-
no attinere, atque omnia nostrorum Vn-
garorum esse propria. Accedit ad hæc
gravissimum Porphyrogenetti planissime
scribentis, de admin. imperii cap. 40. te-
stimonium, ætatis suæ Turcos Leoni, pa-
tri suo, Liuntica, Arpadis filio, duce, so-
cia arma contra Bulgaros junxisse: quæ de
Turcis Othomanidis, aut quibusvis aliis
nulla omnino ratione posse accipi, clarum
atque perspicuum est.

III. Atque hæc est illa in primis causa,
cur persepe, & vehementer quidem mira-
tus sim, aureum Leonis Sapientis de Vn-

B

gatis



garis locum a nemine nostrorum scriptorum, quos frequentes ad pulcerrimae laudis gloriam niti, laeti conspicimus, non modo non illustratum, sed ne indicatum quidem unquam fuisse: est enim is mihi quidem tanti, quanti esse debent pretiosissima quæque literarum prisci ævi monimenta, quibus gentis nostræ meritæ laudes cum immortali gloria innituntur. Hoc enim probatissimæ fidei atque auctoritatis vel uno testimonio noscemos in posterum majores nostros pulcrius; severos eorum mores & vitæ rationes mirabimur; disciplinæ militaris incredibile studium, tractandorumque armorum scientiam stupebimus, atque illa ipsa hostibus terribilia atque invicta arma, quibus florentissimum regnum est conditum, grati lætique exosculabimur.

IV. Hos igitur ingenui liberique status nostri auctores, cum persæpe, tanquam in scena, incredibili mea cum voluptate spectarem animo, reputaremque meum, priscam nostrorum Vngarorum virtutem cum alias semper, tum nuper admodum in Bohemia Silesiaque campis, tamquam

quam in maximo theatro cum summa gen-
tis nostræ laude esse spectatam, vixus tan-
dem sum, & in perpetuum sepositum ca-
lamum meum, quo res olim patrias e te-
nebris eruere, illustrareque meditabar, ite-
rum resumpsi. Ut igitur res omnis, quam
hic tractandam suscepi, clarius certiusque
cognoscatur, luculentissimum Leonis Sa-
pientis testimonium, ex Cæsariano codice
descriptum, & Versione mea explicatum
jam tandem legendum propono.



CA.

B 2



ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ Β'.

Αέωντος τῇ σοφῇ ἐν Χρισῷ τῷ Θεῷ
βασιλέως ἡ περὶ τέρπιων περικοπὴ ἐκ
τῆ τῶν τακτικῶν κεφαλαιών.

I.

Τὰ μὲν γὰρ τῶν ἐθγῶν, οἷον οἱ τάρκοι, ἐν
ταῖς διώξεσιν ἀτάκτιαις ἐπιτίθενται τοῖς
διωκομένοις· ὅθεν καὶ εὐχερέζερον βλάπτονται
παρὰ τῶν διωκομένων, εὐτάκτιας ὑποχωρέντων
καὶ ὑποσρεφόντων.

2. Τὰ δὲ πράως καὶ συντεταγμένως διώ-
κεσιν· διὸ ὅδε χρὴ τὰς ἀνατρέφοντας κατ’ αὐ-
τῶν δὲ ὄψεως ἐπιτίθενται ἔρχεσθαι, ἀλλὰ καὶ
διὰ τῶν πλαγίων, καὶ κατὰ τὴν οὐτῶν
ποιεῖσθαι τὴν ἐπέλευσιν, ὡς μοι εἴρηται.

3. Ἐπεὶ δὲ τέρπων ἐμνήσθην, ἀκ ἀδόκιμον
κρίνομεν, καὶ ὅπως αὐτοὶ παρατάπονται· καὶ
ὅπως αὐτοῖς ἀντιπαρατάξασθαι δέουν, διαφῆσαι·
διὸ μετρίας περιστασίας ἀναμαθέντες, ὅτε συμμά-

χοι

C A P V T . II.

*Leonis Sapientis Dei gratia Imperatoris
de Turcis Pericope ex Taetorum Ca-
pite XVIII. excerpta.*

I.

Nam gentes quidem aliæ, ut Turci, cum hostem persequuntur, solutis ordinibus ei incumbunt; quo sit, ut ab ipso, si ordinatim recedat, repenteque gressum converat, facilius profligentur.

2. Aliæ autem gentes, servatis ordinibus atque moderate hostem persequuntur; propterea hos, converso gressu, recta conari aggredi, consultum non est; sed cum a lateribus, tum a tergo, ut jam memoravi, imprellio facienda.

3. Quoniam autem in Turcorum mentionem incidi, nihil nos alieni a nostro proposito facturos arbitramur, si, quomodo ipsi acies suas instruant, & quomodo adversus ipsos acies sit instruenda, declaraverimus. Consecuti sumus hanc scientiam usu & mediocri experientia; cum eorum



χοις αὐτοῖς ἐχρησάμεδα· βελγάρων τὰς εἰρη-
νικὰς παραβεβικόταν σπουδάς, καὶ τὰ τῆς θρά-
σεις χωρία καταδραμέντων· οἷς ἡ δίκη, ἐπεξελ-
θῶσα τῆς εἰς Χριστὸν τὸν Θεὸν παρορκίας, τῶν
ἔλων τὸν βασιλέα τάχως ἔφθασεν ἐπιθῆγαι
τὴν τιμωρίαν· καὶ γὰρ τῶν ὑμετέρων δυνάμεων
κατὰ σαρακηνῶν ἀσχολεμένων, τάρκες ἡ δεῖκ
πρόνοια ἀντὶ ῥωμαίων κατὰ βελγάρων ἐρά-
τευσεν, πλωῖμα σόλα τῆς ἡμῶν βασιλείας τὸν
Ἴσρον αὐτὸς διαπεράσαντὸς τε καὶ συμμαχή-
σαντος, καὶ τὸν κακῶς κατὰ Χριστιανῶν ἐπλισ-
θέντα βελγάρων ερατὸν τοισὶ μάχαις κατὰ
ηράτος νευκηκότας· ὡς ἂν εἰ δημίας ἐξαποσεί-
λαστα κατ’ αὐτῶν, ἵνα μὴ ἔκουτες ῥωμαῖοι Χρι-
σιανοὶ Χριστιανῶν βελγάρων αἴμασι χρείνωσι.

4. Τὰ σκυδικὰ τούνυν ἔθνη μιᾶς ἐξιν, ὡς
εἰπεῖν, ἀναρροφῆς τε καὶ τάξεως, πολύαρχά
τε καὶ ἀπράγμονα νομαδικῶς, ἀς ἐπίπαν,
βιβντα· μόνα δὲ τὰ τῶν βελγάρων πρόστετι
δὲ καὶ τὰ τῶν τάρκων τῆς δμοῖας φροντίζεστι
τάξεως πολεμικῆς ἴσχυροτέρας τῶν ἄλλων σκυ-
δικῶν ἔθνων· τὰς κατὰ σύναστιν μάχας ποιώμε-
νά τε καὶ μοναρχέμενα.

auxilio contra Bulgaros, qui violato pacis fædere, Thraciæ vicos populabantur, uteremur. Ac de Bulgaris quidem, quod in Christum, Deum simul ac Regem, universi erant perjuri, divina ultio confessim penas summis: nam cum copiae nostræ bello Saraceno essent occupatae, divina providentia Turcorum exercitum Romani loco, in Bulgaros immisit; qui Turci instructa Imperiali classe nostra in adversam Istri ripam transvecti & ipsius auxilio usi impie armatum contra Christianos Bulgarorum exercitum ternis præliis fortissime vicere: proinde ac si publici criminum ultiros divinitus in illos essent immissi: ne Romani Christiani Christianorum Bulgarorum sanguine ultro polluerentur.

4. Scythicis igitur gentibus, eadem fere est & aciei & in ipsa sepe convertendi ratio. Pluribus parent principibus & otio deditæ sedibus incertis cum armentis greibusque suis lætiora pascua sequendo, universe vitam traducunt. Sola vero Bulgarorum & Turcorum gentes persimili aciem instruendi studio tenentur; quæ ceterarum Scythicarum gentium aciebus est firmior;



5. Αλλὰ βελγάρων τὴν ἐν Χριστῷ εἰρήνην
ἀσταχομένων, καὶ κοινωνέντων τῆς εἰς αὐτὸν
πίσεως ῥωμαίοις, μετὰ τὴν ἐκ τῆς παρορκίας
πεῖραν ὃχ λόγομεδα κατ' αὐτῶν χειράς δπλί-
ζειν, ἐπὶ τὸ θεῖον ἡδη τὰ κατ' ἐκείνων ἀναρ-
τῶντες σφιτηγύματα· διόπερ ὅτε τὴν αὐτῶν
καδ ἡμῶν παράταξιν, ὅτε τὴν ἡμετέραν κατ'
ἐκείνων, ἀτε διὰ τῆς μᾶς πίσεως ἀδελφῶν ὑ-
παρχόντων, καὶ ταῖς ἡμετέραις εἴκειν ἐπαγ-
γελλομένων εἰσηγήσεσιν, διαχράφειν τέως προ-
θυμόμεδα.

6. Περὶ δὲ τῆς τῶν τερέκων διαθήσεώς τε
καὶ παρατάξεως, μικρῷ τῆς βελγάρων ἦ 8δεν
διαφερέστης, ἡδη ἐρδμεν. ὅτι πολυανδρόν ἐσι
καὶ ἐλεύθερον τέτο τὸ ἔθνος, μελέτην μόνον
ποιείμενον, παρὰ τὰς ἄλλας πολυτελείας, καὶ
τὴν εὔπορίαν τὸ ἀνθρείως διακεῖδαι πρὸς τὰς
ἱδίες ἐχθράς.

7. Τέτο τοίνυν ὡς μοναρχόμενον, καὶ ἀ-
πιγεῖς καὶ βαρεῖας τὰς ποινὰς ἐπὶ τοῖς ἀμαρτι-
νομένοις παρὰ αὐτῶν ἐκ τῶν ἀρχόντων αὐτῶν
ὑφιεσάμενον, οὐκ ἀγάπη, ἀλλὰ φόβῳ κεκρατη-
μένον,

eum & collato pede pugnas ineant, & unius imperio obtemperent.

5. Verum cum Bulgari pacem in Christo amplexi, ejusdem cum Romanis & dei sint & religionis, post experientiam, ex eorum perjurio captam, non arbitramur, manus contra ipsos esse armandas; præsertim cum nostra adversus ipsos belli consilia in Deo locaverimus: idcirco neque ipsorum aciem contra nos instruendi rationem, neque nostram contra ipsos (cum dei merito fratres nostri sint, & adhortationibus nostris locum dare constituerint) memoriae interim tradere in animum inducimus.

6. At de Turcorum & moribus & acie, parum, aut nihil a Bulgarorum differente, jam nunc differemus. Hæc igitur gens virorum copia florens ingenua est & libera. Nulla ei magnificentiae, rerumque affluentiae est cura, sed id unice studet, ut animi fortitudine hostibus suis præstet.

7. Hæc igitur gens, utpote quæ unius imperio regatur, graves acerbisque præfectis suis, si quid deliquerit, dat penas, & timore magis, quam amore in obsequio

B 5. con-



μένον, τὸς πόνος καὶ μόχθος γεγυκάιω φέρεται· πρὸς δὲ καύματα ἐπρὸς Φύχος ἀντέχονται, καὶ τῆς λοιπῆς τῶν ἀναγκαίων ἐνδείας νομαδικὸν ὑπάρχον.

8. Περίεργα δέ εἰσι τὰ τῶν τέρκων φῦλα, ἐκρύπτοντα τὴν βελήν αὐτῶν, ἄφιλα δὲ καὶ ἀπιστα ὄντα, καὶ διὰ τῆς ἀπλησίας τῶν χρημάτων κρατέμενα, δρκα περιφρονεῖσιν· μήτε συνδύκας φυλάττοντα, μήτε δώροις ἀρκέμενα· ἀλλὰ πρὶν τὸ δοθεν δέξανται, ἐπιβελῆν μελετῶσιν, καὶ ἀνατροπὴν τῶν συνδυκῶν.

9. Καὶ τὰς ἐπιτιθείες καιρὸς δεινῶς σοχάζονται, καὶ σπεδάζεσθαι ἢ τοσῦτον χειρὶ, καὶ δυνάμει τὰς ἐχθρὸς καταπολεμῆσαι· ὅσου δι ἀπάτης, καὶ αἰρνιδιασμῶν, καὶ διὰ τῆς τῶν ἀναγκαίων σενώσεως.

10. Ὁπλίζονται δὲ σπαθίοις καὶ λαρικίοις, καὶ τόξοις, καὶ κοντάριοις· ὅθεν ἐν ταῖς μάχαις διπλεῦ ἄρμα οἱ πλεονες αὐτῶν ἐπιφέρονται, ἐν τοῖς ὕμοις τὰ κοντάρια ἀναβατάζονται, καὶ τὰ τόξα ἐν ταῖς χερσὶν κατέχον-

τες,

continetur, cumque incertis vivere sedibus sit solita, labores omnes atque ærumnas strenue perfert, nulli æstui, aut frigori cedit, ceterosque rerum, ad vitam necessaria-rum, defectus æquo animo perpetitur.

8. Sunt vero Turcorum populi ad omnia sollicite attenti, nec quidquam magis, quam consilia sua in arcano habent; cum autem amicitiae dataeque fidei minus sint studiosi, & inexplebili pecuniæ teneantur desiderio; idcirco jusjurandum parvi faciunt, & nec fœdera servant, neque donis expletuntur; sed prius infidias moluntur, & violant fœdera, quam dona accep- perint.

9. Temporum opportunitates quam diligentissime observant, operamque dant, ut non tam conserta manu copiisque, quam militari dolo atque inopinatis aggref-sionibus & rerum necessiarum intercep-tione hostium copias fundant.

10. Armantur vero frameis, loricis, arcubus, hastis; qua re complures eorum duplia in præliis arma gestant, humeris quidem hastas ferunt, arcum vero tenent manibus, & tam hoc quam illis, pro oc-

cur-



τες, καὶ ἀμφοτέροις κατὰ τὸν ἀπαντῶσαν
χρεῖαν κεχρημένοι· διωκόμενοι δὲ μᾶλλον προ-
τερῆστι τοῖς τόξοις.

II. Οὐκ αὐτοὶ δὲ μόνοι διπλοφορεῖσι,
ἀλλὰ καὶ οἱ ἵπποι τῶν ἐμφανῶν, σιδήρῳ οὐ κεν-
δέκλῳ τὰ ἔμπροσθεν μέρη σκέπουται.

12. Πολὺν δὲ μελέτην καὶ ἀσκεσιν ποι-
εστι περὶ τὴν ἐπὶ τῶν ἵππων τοξείαν.

13. Ἀκολαθεῖ δὲ αὐτοῖς καὶ πλῆθος ἀ-
λόγων, ἵππαριν, καὶ φοραδίων, καὶ ἀγέλαι
βοῶν· ἅμα μὲν πρὸς ἀποτροφὴν καὶ γαλακτο-
ποσίαν, ἅμα δὲ καὶ διὰ πλῆθος φαντασίαν.

14. Ἀπλικεύστι δὲ ἐκ ἐν φοστάτῳ, ὡτ-
περ οἱ ῥωμαῖοι· ἀλλὰ μέχρι μὲν τῆς τε πο-
λέμου ἡμέρας διεσπαρμένοι κατὰ γένη καὶ φύ-
λας· τὰς ἵππας βόσκουντες διηγεκώς ἐν τε θέ-
ρει καὶ χειμῶνι· ἐν δὲ καιρῷ πολέμου τὰς ἀναγ-
καίς ἵππες κατέχοντες, καὶ πεδικλεῦντες πληγ-
σίον τῶν τροκικῶν τεντῶν φυλάττεστι μέχρι^{το}
καιροῦ τῆς παρατάξεως, ὑπὸ νύκτα τῆς παρα-
τάξεως ἀπαρχόμενοι.

currentis necessitatis ratione utuntur: at in
receptu adversus persequentem hostem ar-
cubus excellunt.

11. Non modo vero ipsi armis tecti
sunt, sed equorum etiam, quibus nobilio-
res vehuntur, anteriores partes aut ferro
aut denso centunculo muniunt.

12. Magno studio arque exercitatione
artem ex equis sagittas emitendi con-
discunt.

13. Comitur eos animalium magna
multitudo, equorum equarumque, item
boum ac vaccarum armenta, tum escæ,
tum lactis potus causa, simul etiam, ut
frequentiæ amplitudinisque castrorum spe-
ciem præbeant.

14. Cum castra metantur, ea nequa-
quam, ut Romani, fossa valloque muni-
unt; sed ad pugnæ diem usque per cognationes & tribus disperguntur. Equos cum
æstate tum etiam hyeme, assidue pascunt;
pugnæ vero die imminente, necessarios ad
ufsum retinent, eosque pedica, alteri pe-
dum injecta pone sua tentoria religatos us-
que ad tempus instruendæ aciei curant,
quam sub noctem instruere exordiuntur.



15. Τὰς δὲ βίγλας αὐτῶν ἀπὸ μηρόθεν
ἀλλεπαλλήλες ποιεῖσιν, εἰς τὸ μὴ εὐκόλως αὐ-
τῆς ὑπομένειν αἴφνιδιάσμας.

16. Ἐν δὲ τῇ μάχῃ ὡς οἱ ῥωμαῖοι πα-
ρατάττεσσιν ἐν τρισὶ μέρεσιν, ἀλλ' ἐν διαφό-
ροις μοίραις δρυγύγιαι σημάπλοντες ἀλλήλαις
τὰς μοίρας, μικρὸν ἀπ' ἀλλήλων διῆσαμένας,
ῶσε μίαν φαίνεσθαι παράταξιν.

17. Ἐχεστιν δὲ ἔξω τῆς παρατάξεως δύ-
ναμιν τινὰ ἐκ περισσᾶ, ἢν πρὸς ἔγκρυψιμα ἐκ-
πέμπτεσιν κατὰ τῶν ἀμελῶς ἀντιτασσομένων
αὐτοῖς· ἢ καὶ εἰς βούθειαν τῇ βαρεμένῃ μέρᾳ
φυλάττεσσιν· τὸ δὲ τελέσθεν αὐτῶν ὄπισθεν τῆς
παρατάξεως ἔχεστιν πλησίον· ἢ δεξιᾷ ἢ ἀρι-
στερᾷ τῆς παρατάξεως, ὡς ἀπὸ ἑνὸς ἢ δευτέρου
μιλίου, ἀφίεντες ἐν αὐτῷ καὶ ὀλίγην παραφυ-
λακήν.

18. Πολλάχις δὲ καὶ συζευγνύντες τὰς πε-
ρισσὰς τῶν ἵππων κατὰ νάτην, ἢγεν ὄπισθεν
τῆς παρατάξεως αὐτῶν ποιεῖσιν εἰς φιλακῆν
αὐτῆς· καὶ τὰ μὲν βάθη τῶν ἀκιῶν τῆς πα-
ρατάξεως ἢγεν τὰς σίχες ἀσφίξεως ποιεῖσι· διὰ
τὸ παχείαν εἶναι τὴν παράταξιν βάθες μᾶλ-
λον φροντίζουστες, καὶ ἴσοι ποιεῖσι καὶ πυκνὸ-
τὰ μέτωπον.

15. Excubias procul a castris alias penes alias collocant; ut non facile subitis impressionibus possint opprimi.

16. In ipsa vero pugna aciem omnem, non ut Romani, trifariam partiuntur; sed in diversas turmas milliarias, quarum aliæ aliis turmatim connexæ, adeo modicis inter se intervallis distant, ut una continua videatur esse acies.

17. Præter instructam aciem copias etiam superfluas habent, quas aut ad struendas insidias adversæ aciei negligenter instruetæ, emittrunt; aut ad succurrendum laboranti cuiquam parti suæ reservant. Sarcinas vero atque impedimenta, non longe a dextra vel sinistra aciei ala unius aut alterius milliaris intervallo retro post aciem habent, quibus modicum præsidium relinquent.

18. Persæpe vero superfluos conne-stunt equos, & a tergo, id est post aciem, majoris securitatis causa collocant. Turmarum milliarium series five ordines, indefinita profunditate instruunt, quod profundiratis, quo acies sit validior, majorem curam gerant: denique ut aciei frons cor-depsa sit & æqualis, efficere student. 19.



19. Χαίρεστι δὲ μᾶλλον ταῖς ἀπὸ μήκοθεν
μάχαις, καὶ ἐνέδραις, καὶ ταῖς κυκλώσεσι κα-
τὰ τῶν ἐναντίων, καὶ ταῖς ἐσχηματισμέναις
ὑποχωρέσεσι, καὶ ἀντιφοραῖς καὶ ταῖς διε-
σπαρμέναις τάξεσιν.

20. Ὅταν δὲ τρέψωσιν τὰς ἐχθρὰς αὐ-
τῶν πάντα ἐν δευτέρῳ τιθέατιν, καὶ ἀφειδῶς
ἐπιτίθενται· ὃδεν ἔτερον λογιζόμενοι, ἢ τὸ
διώκειν· ὃκ ἀρνεῖται γὰρ ὥσπερ οἱ βαμαῖοι,
καὶ τὰ ἄλλα ἔδνη, τῇ μετρίᾳ καταδιώξει,
καὶ τῇ τῶν χειράτων ἀρπαγῇ, ἀλλὰ μέχρι
τοστέτε ἐπικεῖται, ἔως ἂν τελείως τὴν τῶν
ἐχθρῶν κατάλυσιν ποιήσωνται, πάση μεθόδῳ
τῆς τέτο κεχειρένοι.

21. Ἐάν δέ τινες τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν διω-
κομένοι εἰς ὁχύρωμα καταφύγωσιν, σπεδάζε-
σιν ἀκριβῶς καταγοῦντες τὴν τῶν ἀναγκαίων,
καὶ τῶν ἱππων, καὶ τῶν ἀνδρῶν, καὶ προσκαρ-
τερᾶσιν ἵνα τῇ δενότητι τέτων χειρῶσωνται
τὰς ἐχθρὰς, ἢ εἰς τὰ ἀρέσκοντα αὐτοῖς σύμ-
φωνα τάττας ἀγάγωσιν· πρῶτον μὲν ἐλαφρό-
τερά τινα ἐπικέητεντες, καὶ τότε συντιθεμένων
αὐτοῖς τῶν ἐχθρῶν ἔτερα μείζονα προτιθέασιν.

19. Sed præliis , eminus commissis ,
magis gaudent , deinde struendis insidiis &
circuitibus , cum scilicet protensa utraque
acie ala hostem circumvenire satagunt ; tum
simulatis recessibus & repentinis in hostem
conversionibus ; denique dispersis agminibus .

20. Posteaquam vero hostes suos in
fugam verterint , omni alia cura deposita ,
tergis eorum assidue inhærent , tota mente ani-
moque in persequendis defixi . Neque enim ,
quemadmodum Romani , ceteræque natio-
nes , satis illis est , moderate insequi , & fugi-
entium opes diripere ; verum tamdiu illis in-
cumbunt , donec internecione deleant : quem
in finem omni arte conatique utuntur .

21. Si qui hostium , quos persequun-
tur , in munitum aliquem locum confuge-
rint ; tum id dant operam Turci , ut re-
rum , cum viris tum equis necessiarum ,
defectum accurate explorent ; quo cogni-
to continua illos obsidione urgunt : ut ipsos
aut rerum inopia capiant ; aut ad paœta ,
sibi placida , ineunda inducant : ac primum
quidem leviora quædam ab ipsis exigunt ,
postea quam vero cum hostibus paœti sunt ,
graviora proponunt .



22. Ταῦτα μὲν τὰ τῶν τάρκων ἥδη τοστῷ μόνῳ διαφέροντα τῶν βελτυάρων, ὅσῳ τὸν Χριστιανῶν ὅτοι ἀσπασμένοι πίσιν, καὶ τοῖς ἡματίκοις ἐπ' ὀλίγον μετεβάλλουτο ἥδεσι, τότε τὸ ἄγριον καὶ νομαδικὸν τῷ ἀπίσιῳ συναποβαλόντες.

23. Ἐναντιενται δὲ πολεμίοις τάρκοις ἐνδεια βοσκῆς διὰ τὸ πλῆθος ὃν ἐπιφέρονται ἀλόγων.

24. Καὶ ἐν καιρῷ δὲ συμβολῆς τάξις πεζικὴ συντεταγμένη μάλιστα αὐτὲς βλάψει, ὡς ἐναντία αὐτῶν καβαλλαρίων ὅντων, καὶ μὴ καταβανόντων ἀπὸ τῶν ἵππων· ἐδὲ γάρ εἶναι πεζῇ καρτερεσσιν ὡς συντραφέντες ἐποχεῖσθαι τοῖς ἵπποις.

25. Ἐναντιεται δὲ αὐτοῖς καὶ τόπος ὁμαλὸς, καὶ γεγυμνασμένος, καὶ δὴ καὶ τάξις καβαλλαρική, καὶ πεπυκυωμένη, καὶ ἀδιασάτως ἀκολαθέστα.

26. Εναντιεται δὲ καὶ ἐν χειρὶς συμπλοκῇ μετὰ τῶν ὅπλων, καὶ ἔφοδοι νυκτεριναὶ ἀσφαλῶς γινόμεναι, οἷον ἵνα οἱ μὲν προσβάλλοντες αὐτοῖς ἐν μὲν ἔχρσι μέρος τεταγμένον, τὸ δὲ ἔτερον μέρος ἐγκρυπτόμενον.

22. Atque hi Turcorum sunt mores, qui a Bulgarorum eatenus solum differunt, quod hi Christianorum fidem amplexi, & in Romanum vitæ cultum non nihil tradūcti & asperitate morum, & vagum etiam atque instabile vivendi genus una cum idolis suis abjecere.

23. Adversatur vero Turcis hostibus pastus inopia; propter animalium, quæ secum ducunt, maximam copiam.

24. At conflictus tempore nihil magis eos retundit, quam pedestris acies bene densata, utpote ipsis contraria; cum & equites sint, & ex equis non descendant: a teneris enim annis equis infidere assueti, impatienter pedibus insistunt.

25. Adversa illis etiam sunt loca plana, & campi humana industria culti, densata præterea equestris acies, & sine intermissione pone sequens.

26. Adversa quoque illis sunt prælia, gravioribus armis cominus inita; nocturnæ item aggressiones, ita provide factæ, ut pars eorum una, qui illos aggrediuntur, sit in acie; altera vero lateat in insidiis.



27. Λυπεῖ δὲ αὐτὸς σφόδρα καὶ ὅταν τινὲς
ἐξ αὐτῶν προσφύγωσι τοῖς ῥωμαίοις· γινώσκε-
σι γὰρ ὅτι ἀξιον ἔχει γνώμην τὸ ἔθνος αὐ-
τῶν, καὶ φιλοκερδεῖς εἰσιν, καὶ ἐκ πολλῶν φυ-
λῶν συγκείμενοι, καὶ ὅτι διὰ τέτο εἰσινται
λόγου συγγενῶν, καὶ τῆς εἰς ἀλλήλας ὁμο-
νοίας.

28. Ὁλίγων δὲ τάχα τῇ προσφυγεῖν
ἀπαρχομένων καὶ φιλοφρονεμένων παρ' ἡμῶν,
πλῆθος αὐτοῖς ἐπακολαθεῖ· διὸ καὶ βάρεως φέ-
ρεσιν ἐπὶ τοῖς ἀπ' αὐτῶν ἀναχωρεῖσιν.

29. Ὅταν δὲν βεληδῆ τις πρὸς αὐτὸς ἐγ-
κίται πρὸς μάχην, πρό γε πάντων ἔχειν αὐ-
τὸν δέου τὰς βίγλας ἐπιμελῶς, καὶ συνεχεῖς
ἀπὸ διασημάτων ὄλίγων, εἴτα μεμινῆσαι καὶ
προευτρεπίσαι τὰ εἰς δευτέραν τύχην τυγχά-
νοντα· ἢγκε μῆποτε τροπὴ γένυται τῶν ἀν-
τιπολεμόντων αὐτοῖς, οὐαὶ καὶ ὄχυρον τόπου κα-
τανοῦσην ἐν καιρῷ περιεάσεως, καὶ δαπάνην ἐ-
φεύρη ὄλίγων ἡμερῶν, εἰ μὲν δυνατόν ἐσι καὶ
τῶν ἀλόγων, ἐπεὶ πάντως τῶν ἀνδρῶν καὶ μά-
λιστα

27. Aegerrime quoque ferunt, si qui ex ipsis ad Romanos transfugiant; noverunt enim, inconstantis gentem suam esse animi, lucri cupidam, & ex multis tribubus conflatam; atque idcirco neque cognationum ullam, neque mutuae consensionis habere rationem.

28. Nam posteaquam fortasse pauci transfugere cœperint, & hi a nobis benigne humaniterque fuerint suscepti; plurimi illos subsequuntur: quam etiam ob rem permoleste ferunt, si qui ipsorum ab ipsis deficiant.

29. Quando igitur quis prælii commitendi causa proprius ad ipsos accedere constituerit, primum omnium excubiarum cura illi quam diligentissima est habenda; quæ excubiæ & continuæ esse & aliæ ab aliis modicis intervallis distare debent: deinde sollicito studio prævidenda ac præparanda sunt omnia, quæ ad sinistros valeant evenitus; scilicet ut si aggressores a Turcis in fugam verti contigerit, tum, infortunii momento, & locum firmum deligat, & in aliquot dies commeatum comparet; in primis equiti necessarium, tum, si fieri possit,

C 3 . . . equis .



λιςα τὸν τὰ τοῦ ὑδάτος εὔπορίαν, εἴτα καὶ τὸ
τεῖλον διαθήτη ὡς ἐν τῷ περὶ αὐτῆς κεφαλαιώ
ἡμῖν εἴρηται.

30. Καὶ ἐὰν μὲν σύνεσι πεζικὸς σφρατός ἐν
τῇ πρώτῃ μάλιστα μάχῃ, ἐν ὅσῳ δὲ σφρατός ἐν
συνιδείᾳ τῇ ἔθνεις γίνεται ἕκταξαι αὐτὸν κατὰ
τὸν δηλωθέντα ἡμῖν ἐν ἄλλοις τρόπον, τῷτο
ἐξιν, ὃς εἴχειν τὰς καβαλλαρίες ὑποτεταγ-
μένες τοῖς πεζοῖς.

31. Εἰ δὲ μόνον καβαλλαρίοις εἰσιν οἱ αὐ-
τιστσόμενοι αὐτοῖς καὶ ἀξιόμαχοι πρὸς τὸν δ-
κείνων δύναμιν, κατὰ τὸν λεχθέντα τρόπον,
καὶ αὐτὸν ἐν τῷ περὶ τάξεως λόγῳ τάξεις αὐ-
τές.

32. Πλείονας δὲ ἐν τοῖς πλαγίοις ἀφορ-
σεις καὶ χροισίμας ἐν τῷ νότῳ γὰρ αὐτῶν ἀρ-
κεῖσιν οἱ λεγύμενοι διφευσόρες καβαλλαρίοι,
ἥτοι οἱ ἔκδικοι· τὰς δὲ κάρσωσας, ἥτοι πεομά-
χες μὴ πλέον τριῶν, ἢ τεσσάρων σαγιττοβό-
λων τοὺς πιστιάξεως τῶν διφευσόρων ἐν ταῖς
διώ-

equis quoque jumentisque; curet vero maxime, ne aquæ copia desit. Denique de sarcinis quoque ita disponat, ut in capite *de impedimentis* dictum est.

30. Si pedestres aderint copiæ, tum, in primo præcipue prælio ex iis, quæ maxime cum gente illa manus conserere sunt assuetæ, primam aciem eo, quem jam alibi declaravimus, modo instrue, id est, ut peditatus instruētum post se habeat equitatum.

31. Sin equestres solum fuerint copiæ, quæ adversus Turcos sunt instruendæ; tum eas quoque modo virtute, numeroque ipsorum copiis sint pares, eadem prorsus instrues ratione, de qua, ubi *de instruendis aciebus actum* est, locuti sumus.

32. Ad laterum vero custodiam plures numero, iisque strenui sunt diligendi; nam ad defendendum aciei tergus sufficiunt equites desultorii, vulgo *defensores*, sive *Ecdici* appellati. At levis armaturæ equites, sive antesignani, cum fusos hostes persequuntur, ne temere in eos invehantur, neve longius tribus aut quatuor sagittæ jactibus a desultiorum equitum acie separantur.



διώξεσι. Χωρίζεσθαι, μηδὲ κατατρέχειν αὐτῶν· πάντως δὲ καὶ σπεδὴν ποιήσυται ἵνα εἴ γυμνῷ καὶ ἴσω τόπῳ κατὰ τὸ δυνατὸν αὐτῷ τὴν παρατάξιν ἐκτάξῃ, ἔνθα μήτε ὑλαι εἰσὶ δαστός, μήτε πάλματα, μήτε κοιλάδες ἐνοχλῶσιν, διὰ τὰ παρὰ τῶν τέρκων ἐπινοάμενα ἐγρύπνατα.

33. Καὶ τὰς βίγλας δὲ ἐκ διασῆματος κατὰ τῶν τεσσάρων μερῶν τῆς παρατάξεως ποιήσει.

34. Ἐὰν δὲ ἐνδέχεται· καλόν εἶνι ἵνα ἡ δύστειον ποταμὸν, οὐ πάλματα, οὐ λίμνην κατὰ γάτως τῆς παρατάξεως ἔχῃ, ἵνα ὁ νῶτος ἀσφαλῶς φυλάττεται.

35. Καὶ εὖν καλῶς τὰ τέ πολέματα ἐξέλθῃ, μήτε κατατρέχειν αὐτῶν ἀπλήνως, μήτε ἀμελῶς διακεῖσθαι· ὅδε γὰρ ὡς τὰ λοιπὰ ἔθνη τὸν πρώτην ἡτίωμενα μάχην ἀπολύγνυται τέ πολέματα, ἀλλὰ μέχρις ἂν κατὰ κράτος ταπεινῶστιν ἐπιτίθενται διὰ ποδῶν τρόπων κατὰ τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν ἐγχειρεῖν· εὖν δὲ συμμιχίος εἶνι οὐ τάξις, καὶ πλείσις εἰσιν οἱ πέζοι, δέους πρόνοιαν ἐν τοῖς τοιέτοις ποιεῖσθαι τῆς ἀποτροφῆς τῶν ἀλόγων· ὃ γὰρ πάντως συγχωρεύται οἱ καβαλλάριοι ἐγγιζόντων τῶν ἐχθρῶν χορτάσματα τῶν ἀλόγων συνάγειν.

tur. Dabit vero Dux exercitus operam omnino diligentem, ut, quantum quidem in se fuerit, in locis patentibus & planis aciem instruat: ubi neque condensae silvæ, neque paludes, neque valles obturbent; propter Turcorum infidias, quas callide struere sunt soliti.

33. Excubias quoque, justis inter se intervallis distantes, in quatuor aciei partibus collocabit.

34. Bonum fuerit, si fieri possit, ut fluvium vadatu perdifficilem, vel paludes, vel lacum a tergo aciei habeat; quo ea parte reddatur securus.

35. Si felix fuerit pugnæ eventus, tum neque immoderate in eos invehi, neque etiam rem negligenter gerere oportet; neque enim Turci, quemadmodum ceteræ nationes, primo prælio viæ, pugnam deferunt; verum donec viribus fracti animos non abjiciant, id unice student, ut omnibus viis & modis hostes suos iterum aggrediantur. Sin mixtus fuerit exercitus & major aderit peditum numerus, tum in hujus modi casibus providendum erit de jumentorum pabulo; nam, imminentibus hostibus pacula jumentis conquerire, omnino equitibus licitum non est.

36.



36. Ἄύτη τοίνυν ἡ πολεμική τε καὶ συνή.
Ων τῶν τάρκων συνάσκησις διαφέρει τῆς βελ-
γάρων, ὡς εἴρηται κατά τινα μικρό· τὰ δ'
ἄλλα ἐξωμοιώται.

37. Ήμεῖς δέ τέττα ἔνεκεν σοι ταῦτην
ὑπεγεάψαμεν, ὃχλως τάρκοις παρατάσσονται
μέθοντι, ὅτε γάρ γείτονές εἰσιν, ὅτε μὴν
πολέμοι νῦν, ἀλλὰ καὶ μᾶλλου ὑπήκοοι ῥωμαί-
οις σπεδάζοσιν ἀναδείκνυονται.

38. Άλλ' ίνα ἔχοις, ως σρατηγές, εἰδέ-
ναι τὰ ἔκαστα τῶν διάφορων παρατάξεων καὶ σρα-
τηγημάτων, καὶ ἐν καιρῷ τῷ προσήκοντι χρῆ-
σθαι αὐτοῖς συντόμως, πρὸς ὅτι ἀν βελιδῆς,
καὶ δοκιμάσης τὸ χρύσιμον τοῖς ἐκ πολλῆς γυ-
μνασίας παρά τισιν ἐφευρισκομένοις σρατηγήμα-
σι τε καὶ παρατάξεσιν. Ηδὲ καιρὸς ἀπαιτῇ, καὶ
ἀντισρατεύεσθαι πρὸς αὐτὰ τὸ ἐναντίον διὰ τῆς
μελέτης προησκημένος καὶ γυμνασάμενος.

36. Hæc igitur cum militaris tum consuetudinaria Turcorum disciplina differt quidem a Bulgarorum paucis quibusdam, quemadmodum dictum est; cetera vero est persimilis.

37. Nos vero eam tibi nequaquam ideo designavimus, tanquam contra Turcos aciem instruēturus sis, neque enim vicini nostri sunt, neque etiam nunc quidem hostes; immo insuper observantes sese Romanorum student exhibere.

38. Verum ideo, ut habeas o Dux, unde discas, quæcunque ad variarum instructionem acierum ductumque exercitus prudentem pertineat; utque idoneis temporibus, quamcunque in rem volueris, dextre & celeriter illis utaris; deinde ut dum rebus gestis & instruendarum acierum exemplis, quæ multo usu atque experientia a quibusdam sunt inventa, id, quod utille est, probes exploresque: denique, ut, cum tempus posceret, adversus hæc omnia, in contrariis institutis meditando, ante eruditus, exercitum quoque ducere possis.

Hæc-



Haec tenus ex Leonis Sapientis Tacticorum Capite XVIII. Pericope, quae in Meursii Joannis editione Græca & Latina a pagina 287. num. 40. usque ad pag. 295. num. 79. legitur protensa.

C A P V T III.

*Laudatæ pericopes loca quædam illu-
strantur.*

I. **L**eonis igitur Sapientis testimonio fue-
re Vngari nostri gens Scythica, in-
genua, libera, unius imperio parens, &
Bulgarorum omnino persimilis. Quod Leo
Vngaros nostros Scythes appellat, Græco-
rum id omnium consuetudine facit, qui Se-
ptentrionalem Asiam omnem Scythiam ad-
pellabant. De hoc nomine eruditos inter
homines adhuc non convenit; sunt enim
qui existiment, Tschudos, vetustissimos
Septentrionales Asiae incolas, a Græcis,
qui peregrinum hoc nomen ore suo pro-
ferre nequierint, Scythes esse appellatos;
at mihi quidem multo similius vero vide-
tur, Scythes ab amictu, ex pellibus con-
fuso, quo scilicet frigus arcebant, illud

no-

nomen apud Græcos invenisse, σκύθης enim, si ejus etymon spectes, *pellitum* significat. Sed de Scytharum nomine satis; utrum autem Vngari nostri Septentrionalis Asiæ primum, vel meridionalis incolæ fuerint, jam hoc inter omnes constat, in hujus generis quæstionibus minimam Græcorum esse debere auctoritatem, qui in Geographicis parum, in ethnologicis vero pæne nihil viderint, ut jam mihi observatum est ad Lambecii Commentar. L. VII. editionis meæ p. 322. not. A. Nam nisi mea turpiter fallit opinio, vehementer suspicor, veterum Vngarorum nostrorum primas omnium sedes in Persarum Mogorumque fuisse finibus; immo ipsum quoque Mogorum nomen Vngaros nostros adhuc ferre arbitror.

Mogores quidem ab Europæis appellantur Mogoles; sed id Sinenium pronunciatione, qui canina illa litera careant, & illius loco literam l. usurpent, factum est; a quibus cum illud nomen primum accepissent Europæi, accidit, ut nobis pro Mogoribus Mogoles afferrent: de qua tamen conjectura mea liberrimum cuique judicium relinquo.

II.



II. Ad Vngarorum genus quod attinet, eos LEO ingenuos & liberos fuisse memoriae prodidit; etenim & fuere & sunt Vngari ingenui, ingenuis parentibus & majoribus geniti, & nullis unquam servitutis sordibus inquinati; atque idcirco jure optimo liberi, id est, sui juris siue arbitrii, quatenus salutis communis ac libertatis fortuna patiatur. Nam, hujus gratia, severissimis quibusque legibus libenter parent, & damnum etiam libertatis, a natura sibi concessae, ultro ac sponte quoque lubentissime patiuntur: neverunt enim, in bene constituta civitate naturalem libertatem omnem privatim retineri non posse: nam publica salus atque incolumitas persæpe a civibus exigit ea, quæ privatim maxime sunt incommoda: veteres enim Vngari, quamvis ingenui ac liberi, graves tamen publice dabant penas, si quando in publica peccavissent commoda: quam ob rem, ferre legem, quam tute ipse tibi tulisti, vera libertas est; agere vero, quod velis, & quod tibi soli conducat, licentia, omnium communium malorum origo detinenda.

III.

III. Fuisse vero gentem nostram πολύ-
αὐδρον, id est, virorum numero frequen-
tem, auctor est idem Imp. LEO; neque
ullum dubium est, quin fuerit copiosissima,
quæ scilicet, superatis obstaculis maximis,
ad Istrum usque pervenerit; quæ fortissi-
mos Bulgaros ternis præliis vicerit; quæ
denique a Bulgaris vicissim admodum dimi-
nuta, florentissimum tamen regnum condi-
derit.

IV. Vnius solum paruisse imperio idem
LEO ait, nunquam tamen excluso Optimati-
tum gentis consilio, ut ab anonymo Belæ
Notario memoriae proditum: nam cum
omnes essent milites, unamque omnes &
saluzem & incolumitatem spectarent, unius
pariter imperio, at Optimatum consiliis
temperato, duci regisque debuere; quam
etiam ob causam rectissime Leo prodidit,
nullius alterius Scythicæ gentis, sed solius
Bulgaricæ, & regimine & militari discipli-
na, fuisse simillimos. Etenim tum Bulgari,
cum ab Vngaris bello peterentur, regem
jam habebant, cui Symeoni nomen fuit:
Vngari pariter tum Liuticæ, Ducis suo, Ar-
padis filio, parebant, & eo duce Impera-
tori auxilium ferebant.

V.



V. Soli equestri militiae fuisse tum Vngaros deditos, idem LEO afferit, id quod omnino est vero simillimum, quomodo enim aliter, nisi equis, tantum iter, & per inhospita quidem deserta, cum conjugibus liberisque suis fuscipere conficerent potuissent, quae etiam causa est, quod jam a prima adolescentia liberos suos equis vehi, & ex iis artem sagittas emitendi docuerint: nam cum Vngari nostri omnem victoriae spem in arcubus sagittisque tum ponerent, ut ipsem LEO testatur, sapienter profecto egisse censendi sunt, qui eadem, qua vincere soliti sunt, arte, liberos suos imbuerint: ea enim denique perfecta est scientia atque expedita, quam juvenilibus annis tibi compares, & constanti usu corrobores: nam omnes ὀψιαρχεῖς, id est, serotini eruditi, nescio quid adhuc inepti indoctique retineant, & scientia, quam paullo tardius, atque oportuisset, dicere, impedita utantur. Erant igitur primi illi Vngari pedestris militiae ignari, neque ex equis descendere soliti, quo etiam major est & ætatis nostræ & gentis gloria, quod equites nostri pari virtute nunc & ex equis

equis pugnant, & ex equis desiliant, atque collato pede cum hoste fortiter dimicent.

VI. Ad victus virtæque rationem quod attinet, illud, Leone teste, est memoratum longe dignissimum, hos tales tam fortis equites victu admodum parabili, & lactis potu, fuisse contentos; sed nempe ignotum adhuc fuere ea omnia potus ciborumque genera, quæ subsecuta secum attulit ætas; ignota Gallorum Germanorumque coci, vina Itala, Campana ac Burgundica, ne de nomine quidem nota. Nulla illis, inquit Leo versionis meæ num. 6. nulla magnificentiae rerumque affluentiae erat cura, sed id unice dabant operam, ut animi fortitudine hostibus suis præstarent. Neque tamen hæc a nobis ideo dicuntur, quasi meracioris vini usum, aut lautiorem quadram, vel legionario vel equiti nostro invideremus; ita enim non invidemus, ut cum nemine libentius, alacrius, jucundiusque, quam cum ipsis convivia agitemus: edant, bibant, utantur, fruanturque omnibus bonis, quæ nobis communis mater.

D

pa-



patria nostra , cumulatissime liberalissimeque suppeditat ; modo ne unquam animi fortitudinem in poculis querant . Imitentur majores suos , fortissimos viros , qui lactis potu Bulgaros ter vicere . Ineant igitur milites equitesque nostri pugnas sobrii ; suds enim & sereno ccelo tempus illud eget , ac nihil magis quam temeritatis tumultus reformidat .


VII. Quasnam regiones tum obtinuere Vngari nostri , cum ab Imp. Leone contra Bulgaros invitarentur , ex eo optime cognoscas , quod Imperatoris classe trans Istrum una cum omnibus impedimentis suis fuerint vecti ; Ister igitur erat medius , qui Vngaros a Bulgaris separabat , de qua Danubii nostri appellatione non ingratum fore existimo , si hic auctoritatem ejusdem Graeci scriptoris , cuius Comment. Lib. VI. Part. I. editionis meae pag. 22. not. A memini , hic protulero . Is enim Constantinopoli , nisi fallor , scribens , de Istro & Danubio haec literis prodidit : conservat vero , inquit , hic idem Ister nomen suum ad Sirmium usque , opulentam olim Romanorum urbem ,
ad

ad extreum autem a Gepidis habitatam; si quidem, deposito apud regionis illius incolas priori nomine, Danubius est appellatus &c. Ex quibus facile intelligas, infra Sirmium omnino, & fortasse longius etiam ab illo, Vngaros nostros ad ripam Bulgaricam esse appulsos.

VIII. Finito illo bello Bulgarico rursus eosdem in hodiernam Valachiam, id est, ripam Istri Septentrionalem, navibus Imperatoris esse revectos, mihi quidem est vero simillimum. Nam ipsemet Leo in Tacticis suis, quae non multo post bellum Bulgari-
cum scripsisse censendus est, Pericopes nostræ num. 37. diserte ait: Vngaros nostros non fuisse tum, cum scribebat, Græco imperio vicinos, quod ejus testimonium plane confirmat, eosdem, finito illo bello, neque in Bulgaria constitisse, neque eas provincias, quae nunc Servia & Bosnia appellantur, adivisse: nam si in Bulgaria constitissent, fuissent profecto Græcis vicini; sin autem modernam Serviam & Bosniam adivissent, non modo non Græcis vicini fuissent; sed in ipsomet Græco imperio versa-



ti essent: cum per ea tempora cum hæc
tum illa provincia Imperatoribus Græcis
clientelari jure fuerit obnoxia: quam etiam
ob rem, quoniam illæ provinciæ meridio-
nali Istri ripa finiebantur, veri simillimum
esse videtur, Vngaros nostros, victis Bul-
garis, ad septentrionalem ejusdem fluminis
ripam, id est, in hodiernam Valachiam esse
revectos, qui dein gravibus vicissim damnis
a Bulgaris affecti, & per Istri Danubiique
ripam ulterius progressi, Istro & Danubio
tandem in veteres Pannonias pervenere.



C A P V T IV.

*Imp. Leo plurima ab Vngaris didicisse
ostenditur.*

I. **N**ullum mihi dubium est, quin lon-
ge aliter de Vngaris nostris existimaverit
LEO Sapiens, quam postea de illis scrip-
serint scriptores quidam monastici, qui eos
omni tertio fere verbo appellavere Barba-
ros, & reterritinis coloribus depictos pro-
fi-

simiis magis, quam hominibus habuere.
 Nam visa Vngarorum acie idem illud sen-
 sisse videtur, quod ille Macedoniae Rex,
 visis primum Romanorum castris dixisse fer-
 tur: *ea castra Barbarorum non esse.* Er-
 enim Leonem Imp. ita rem militarem Vn-
 garorum non fastidivisse, ut etiam plurima
 eorum Tacticæ & disciplinæ placita in ad-
 versaria sua retulerit, & eadem duces suos
 in Tacticorum opere docuerit, quale illud
 est pericopes nostræ num. 20. ubi ait: Vn-
 garis non satis esse, quemadmodum Roma-
 nis ceterisque nationibus, hostem fusum
 moderate persequi, & ad diripiendas præ-
 das converti; verum tamdiu illis incumbe-
 re, dum eos internecione deleant: nam
 hoc ipsum Tacticorum suorum Cap XIII.
 de die ante prælium, num. 14. ducibus
 suis his verbis commendat: *Deo, inquit,*
viatoriam dante, & hostibus profligatis
abstineant omnino milites a cadaveribus
inimicorum spoliandis, nam cadavera aut
impedimenta aut castra hostium ante per-
fectum prælii exitum invadere, valde peri-
culosum ac perniciosum est. Itaque præ-
 ciendum omnino est, ut illis rebus milites

D 3

ab-



abstineant. Sæpe enim viçtores talibus de causis non superati, verum iterum funditus deleti sunt, hostibus de improviso incurvantibus, & periculum inferentibus.

II. Idem Imp. pericopes num. 9. Vngaros nostros temporum opportunitates quam diligentissime observasse, literis mandavit; idque dedisse operam, ut non tam conserra manu copiisque, quam militari dolo atque inopinatis aggressionibus & rerum necessiarum interceptione hostium copias funderent; quod ipsum Cap. XX. inter sententiarum militarium summas retulit his verbis: *confilio, inquit, & prudentia Imperatoris hostes superari potius quam manu & vi & pugna conserta, tutum mihi videatur esse & utile; illud enim ex animi sententia, & quemadmodum optimum judicamus, procedit, hoc autem semper aliquo cum damno exitum habet.*

III. Idem Leo pericopes num. 12. affirmat, Vngaros magno studio exercitatio neque artem ex equis sagittas emittendi condidicisse, quam artem in Tacticis suis

du-

ducibus suis vehementer commendat, scilicet Cap. VII. *de exercitatione equestris & pedestri.* num. 9. ubi haec scribit: ut sagittas in omnes partes, equo currente, jaciant, ante, retro, dextrorum, sinistrorum; in equum exsilire ut sciant; ut sagittam contente jaciant ex equo currente, unam atque item alteram, & intentum arcum confestim in corytum ponant, si latus satis corytus fuerit; sin minus, in semi-corytum ad hoc ipsum opportune factum &c. Adnotare hic juverit, in editione Meursii, & haec, quae dedimus, & alia plura Latine tantum haberi, quae operae pretium esset, olim ex laudato codice nostro, in quo fol. 46. pag. 2. habentur, Graece etiam in lucem proferri.

IV. Ejusdem pericopes num. 16. ab eodem Leone *de acie Vngarorum* adnotatum legitur: eos aciem suam non Romanorum more trifariam dividere; sed in turmas milliarias divisam struere, quam disciplinam idem Leo *Tacticorum* Cap. XII. num. 26. ducibus suis tradit his verbis: *sin autem, inquit, soli equites fuerint, & ad-*



versus equites depugnandum erit, in tres equestris acies universum divides exercitum. Primam aciem, quæ πρόμαχος, id est, propugnatrix dicitur, in tres partes divides, unaquaque parte, five turma, in tres partes five drungos, id est, turmas milliarias divisa. Et cetera.

V. Est & ille pericopes locus num. 21, sâne memorabilis, ubi LEO scribit: ab Vngaris, cum hostes suos in munito quopiam loco obsidione premerent, facilius persuadendæ deditioñis gratia leviores ipsis primum tulisse conditiones, deinde autem, posteaquam iam pacti essent, gravioreis imposuisse. Non displicuisse Leoni hanc belli artem, ex eo facile intelligas, quod ipse quoque eam in Tacticis Cap. XV. de obsidione, num. 11. & 12. duces suos docuerit, his plane sententiis: primo igitur iis, inquit, qui in civitate, aut in castello sunt, significandum est, Et ad inquisitionem quandam deditioñis proponendum aliquid clemens Et facile; ut cum jumentis, aut curribus, aut rebus utensilibus acceptis descendant; ut rei propositæ æquitate Et salutis spe,

spe, animi illorum distrahantur, & ad resistendum periculaque obeunda remissiores sint. Statim enim a principio dura & gravia proponere minime prudentis imperatoris est. &c.

VI. Atque hæc speciminis gratia protulisse sufficerit; nam mihi quidem, qui pericopen nostram cum reliquo Tacticorum opere diligenter comparaverim, exploratissimum est, Leonem sapientem præceptis monitisque suis id omni studio egisse, ut equitatum suum Vngarici equitatus quam simillimum efficeret. Miratus quoque videatur esse in nostris prudentiam plane singularem, ut ex pericopes num. 9. cognoscitur, qui temporum opportunitates quam diligentissime observaverit; nam Cap. XVII. de incursionibus nec opinatis, hæc pariter suis inculcat: propterea semper atque ubique idoneas occasiones opportunitatesque temporum, quæ adjuvare rem nostram possunt, non prætermittes, sed hostes tuos anticipes prius, quam parati ad occursum promptique esse possint; illos in primis, quos & plures & fortiores te esse putaveris.

D 5

VII.



VII. Ad extremum refutanda quædam essent, quæ ab Leone Vngaris nostris fuere objecta, ut: nullum, aut exiguum amicitiæ fœderumque studium; sed hoc profecto nemo vehementer in iis reprehenderit, si animadvertis, inter gentes tum versatos esse sibi maxime ignotas, expertosque fortasse præterea fuisse fidem religionemque, quam Græci ipsi aliis, vel hostibus, vel amicis præstare erant soliti, & quam Leo ipse suos docuerat Tacticorum Cap. XVII. num. 2. 3. & seqq. ubi Jura Gentium vehementer vapulant. Erat præterea jam tum fortasse Vngaris nostris vetustissimum illud dictum familiare: *νῦνε καὶ μέμνησο ἀπιτεῖν.* *Sobrius esto, & diffidere memento.* Difficillimum vitæ humanæ est negotium recte statuere, cui tuto credere possis. Credulitas quidem error est, non culpa; sed hunc errorem quavis maxima culpa vehementius semper detestati sunt Vngari, &, dum erunt, semper detestabuntur.

VIII. Objectum denique ab Leone fuit Vngaris, eos, solutis ordinibus, hostes suos persequi esse solitos. Hostem loco motum


tum persequendum esse plerique affirmant; de eo solum disputant, utrum *passim* an *ordinatim* persequendus sit; cum autem inter fugam & recessum aut receptum multum interfit, duplex quoque persequendi hostem videtur esse ratio. Si a Mutina fugientem Antonium persecutus fuisset D. Brutus, & conjunctionem cum Lepido impedivisset; profecto reipublicæ fuisset optime consulatum. Viderant hoc Romani quidem, de quibus Cicero epistola XI. ad Brutum hæc scribit: *nonnulli etiam, inquit, queruntur, quod persecuti non sitis; opprimi potuisse, si celeritas exhibita esset, existimant.* Ad quæ rescripsit Brutus: *sequi confessim Antonium, inquit, his de causis, Cicero, non potui; eram sine equitibus, sine jumentis..... ille enim iit passim, ego ordinatim &c. cur vero ita? cur ordinatim?* nempe cum sine equitatu esset, & Antonium equitatu valere sciret, legiones profecto *ordinatim* ducere debuit; sin aurem equitatum habuisset, multi non dubitant, quin eum in *passim* fugientes Antonianos, solutis ordinibus immisurus fuisset; nam cum summa celeritas in persequendis *passim*
 fu-



fugientibus hostibus adhibenda sit, existimant quidam, eam ab equite facilius, passim quam ordinatim persequente praestari posse: sunt etiam, qui putent, si ad Hochkircham fugientes Borussos vel *passim* vel *ordinatim*, modo *celeriter* persecutus fuisset eques noster, nobilissimam illam victoriā multo nobiliorem fuisse futuram. Sed cum hæc, tum cetera omnia, quæ ad Strategiam & Tacticen pertinent, eruditis Mīnervæ armatae alumnis disputanda definiendaque relinquo, & ad veteres Slavos, quos cum Vngaris conjungere placet, propero.



S E-



SECTIO II.

DE

MORIBVS DEQVE ARTE AC DIS-
CIPLINA MILITARI VETERVM
SLAVORVM.

C A P V T I.

*Imp. Leonis sapientis de Slavorum popu-
lis locus memorabilis.*

I. **N**on longe ab eo loco, quo de priscis
Vngaris agit Leo sapiens, idem quoque
agit de Slavicorum populorum moribus,
vitæ ac viëtus ratione, atque armorum stu-
dii. Hunc igitur memorabilem quoque
locum dignum esse censebam, quem in
tenebris adhuc immerto latentem, publi-

cam



cam in lucem producerem, & civibus meis
legendum offerrem. Hi enim sunt illi Sla-
vici populi Pannonicarum vetustissimi indi-
genæ & autochthones; quos utramque Da-
nubii ripam longe lateque accolentes inve-
nere Vngari; qui cum Vngaris advenis in
unam coaluere gentem; qui cum illis jam
inde a seculo post Christum natum nono
secundam & adversam fortunam habuere,
& habent communem; qui denique nunc
quoque cum Vngaris, Vngari ipsi in robu-
stissimis legionibus patriis & turmis fortissi-
mis pro Augusti Regis sui imperio & pa-
triæ salute, fidelissime militant, & vel ipsa-
met invidia judice majores suos virtute, &
armorum scientia aut superant, aut certe
æquant.

II. Agit quidem hic Augustus scriptor
de iis potissimum Slavorum populis, qui
ab Impp. Græcis ultro invitati aut illecti ab
reliquo Slavicæ gentis corpore fecesserant,
& deserta seu Istri sive Danubij septentrio-
nali ripa in meridionalem immigrantes in
iis ipsis regionibus, quæ nunc Serviæ Ra-
mæ & Bosniæ nominibus notæ sunt, con-
se-

federant. De his inquam potissimum hoc loco Augustus scriptor agit, sed ita tamen differit, ut ex iis, quae memoriae prodit, de universorum Slavorum moribus & armorum studiis recte facileque existimari possit. Est vero hic memorabilis locus ejusdem Tactici operis, editore Meursio, itidem Cap. XVIII. a num. scilicet 100. usque ad num. 110. protenius, & quidem hoc exemplo, eorum gratia, quibus Græca minus sunt familiaria, versione Latina a me donato.

i, Sla-



1. Καὶ τὰ συλλάβικα δὲ ἔχει ὁ μοδίστας
τε ἥσαν καὶ ὁμότροπα ἀλλάλοις, καὶ ἐλεύθερα,
μηδαμᾶς δελέσθαι οὐ ἀρχεδαι πειθόμενα καὶ
μάλιστα ὅτε πέραν τῷ δανεζίσ κατώκεν ἐν τῇ
ἰδίᾳ χώρᾳ· οὗτον καὶ ἐνταῦθα περαιωδέντα, καὶ
οίονεὶ βιασθέντα δέξαθαι τὸν δελείαν ἀχέτε-
ρων ἡδέως πείθεσθαι οὗτολον, ἀλλὰ τρόπον τι-
νὲς ἑαυτοῖς· ιρεῖτον γάρ οὐγέντο ἀπὸ τῷ ἀρ-
χοντος τῆς αὐτῶν φυλῆς φθείρεσθαι, οὐ τοῖς
ἱωμαϊκοῖς δελεύειν καὶ ὑποκλίνεσθαι νόμοις· τὰ
δέ τοι σωτηρία βαπτίσματος τὸν ἀγιασμὸν κα-
ταδεξάμενα· ἄχρι τῶν ἡμέτερων χρόνων, τότο
ὅσον κατ' αὐτὰς εἰς ἀρχαίς ἐλεύθερίας συνή-
θειαν διατηρεῖνται.

2. Πολύανδρά τε ἥσαν καὶ κακοκαθείας
ὑπομένοντα, εὐκόλως δὲ πρὸς καύσωνα, καὶ
ψύχος, καὶ θροχὸν, καὶ σώματος γυμνότητα,
καὶ τὴν τῶν δαπανημάτων ἔδειν καρτεράντα.

3. Ταῦτα δὲ ὁ ἡμέτερος ἐν θείᾳ τῇ λή-
ξει γενόμενος πατήρ καὶ ἡμαίνων αὐτοκράτωρ
βασιλείος τῶν ἀρχαίων ἥσων ἐπειτε μετατη-
ναι, καὶ γραικώσας καὶ ἀρχεστι κατὰ τὸν ἱωμαϊ-
κὸν

1. Slavorum quoque gentes & vitæ
victusque ratione & móribus aliae aliis sunt
persimiles, ingenuæ atque liberæ, quibus
servitus & subiectio nulla unquam ratione
persuaderi potuit, præsertim tum, cum
ultra Danubium in propria regione habi-
tarent; unde etiam huc traductæ, & quo-
dam modo servitutem amplecti coactæ,
nemini alii libentius servire volebant, quam
quodam modo suis: melius enim arbitra-
bantur, a principibus gentis suæ atteri &
opprimi, quam Romanis parere, subjicique
legibus. Quæ autem salutaris baptismatis
sanctificationem sunt amplexæ, hoc ipsum
usque ad nostra tempora, quantum qui-
dem in ipsis est, pro veteris libertatis con-
fuetudine, retinent, atque observant.

2. Abundabant virorum numero, &
ærumnarum erant patientes; quæ scilicet
æstum, frigus, pluvias, corporis nudita-
tem, commeatum & rerum necessiarium
inopiam facile perferrent.

3. His vero noster pater & Romano-
rum Imperator Basilius, beata nunc quiete
perfruens, persuaserat, ut veteres depo-
nerent mores; quos deinde ad Græcorum



κὸν τύπον ὑποτάξας, καὶ βαπτίσματι τιμῆσας,
τῆς δὲ δελεῖας ἐλευθέρωσε τῶν ἑαυτῶν ἀρ-
χόντων, καὶ σρατεύεσθαι κατὰ τῶν ῥωμαίοις πο-
λεμάντων ἐθνῶν ἐξεπαΐδευσεν, ὅτῳ πῶς ἐπι-
μελῶς περὶ τὰ τοιαῦτα διαιτείμενος, διὸ καὶ
ἀκριβίως ῥωμαίος ἐκ τῆς πολλάκις ἀπὸ σκλά-
βων γενομένης ἐποίησεν πολλὰς ὑπ' ἐκείνων
οὐχ λήστεις καὶ πολέμους τοῖς πάλαι χρόνοις ὑπα-
μείνοντας.

4. Ήσαν δὲ, ἐκ οἰδὸς ἐπως εἰπεῖν, τῇ φι-
λοξενίᾳ κατακόρως χρώμενα τὰ σκλάβων φῦ-
λα, ἢν ὃδὲ νῦν καταλιπεῖν ἐδικαίωσαν, ἀλλ᾽
ἐχαστιν ὁμοίως.

5. Τοῖς γάρ ἐπιξενεμένοις ἐν αὐτοῖς ἡ-
πιοι καὶ πρῶτοι ἐγίνοντο φιλοφρονέμενοι τε αὐ-
τοῖς καὶ δεξιώμενοι διασώζοντες καὶ κατὰ διαδο-
χὴν ἐκ τόπου εἰς τόπου παραπέμποντες, καὶ
ἀβλαβεῖς διατηρεῖσθαι, καὶ ἀδιαλείπτες δαπά-
νης ἀλλήλως παρεγγυώμενοι· ὡς, εἴγε διαι-
μέλειαν τε ὑποδεχομένη συμβαίη τὸν ξένον
βλαβῆναι, πόλεμον κατ' ἐκείνης ὁ τέτον πα-
ρεῖ-

vitæ consuetudinem traducens, & Romani regiminis forma Præfectis subjiciens, sacro præterea baptimate honorans, a principum servitute, quibus ante usi erant, liberavit, & contra gentes, Romanis inimicas, arma ferre docuit, magno quodam studio ac diligentia eo in negotio versatus: qua re Romanos sollicitudine liberavit, qui sœpe antea Slavorum tumultibus infestabantur, & multa bella, ab ipsis illata, tolerabant.

4. Erant autem Slavorum populi hospitalitatis, nescio quomodo dicam, supra modum studiosissimi; quam negligere, neque nunc æquum ducunt, & pari, ut ante, studio observant.

5. Erga peregrinos, qui ad ipsos advenirent, erant benigni ac mansueti, quos benevole complectendo & hospitio excipiendi salvos atque incolumes præstabant; nec non alternatim de loco in locum commitabantur, quodque ipsos injuriæ omnis expertes, & sufficienti viatico provisos, conservaturi essent, alii aliis spondebant. Itaque si per ejus socordiam, cui peregrinus erat traditus, contigisset, eum injuria



φαδέμενος ἔκινει, ἀντὶ πίσεως σεβασμίας ὑγέ-
κενος τῇ ξένῳ τὴν ἐκδίκησιν.

6. Ἐδόκει δὲ αὐτοῖς καὶ ἕτερον συμπαθέ-
σερον ποτὲ εἶναι· τὸς γάρ ἐν αἰχμαλωσίᾳ παρ
αὐτῶν λαμβανομένως ἐπὶ ἀορίσως, ἓως ἂν βά-
λωνται, πρὸς διλείσαν κατεῖχον, ἀλλὰ μᾶλλον
ἐν τῇ γυνώμῃ τῶν αἰχμαλώτων ἐποίεν, δρίζου-
τες αὐτοῖς ἡγέρν τινα τῆς διλείσας χρόνον, ἵνα
μετὰ τῶν τὸν δριθέντα χρόνον ἐὰν θέλωσι
ἐν τοῖς ἰδίοις ἀναχωρῆσαι μετά τινος ὥρισμένης
μισθοῦ, ή ἐάν βολωνται παρ αὐτοῖς εἶναι, μέ-
νειν ἐλευθέρες καὶ φίλες.

7. Ἐσωφρόνεν δὲ καὶ οἱ θύλειαι αὐτῶν
μάλιστα κραταιῶσι, ὡς τὰς πολλὰς αὐτῶν τὴν
τῶν ἰδίων ἀνδρῶν τελευτὴν ἰδίαν ὑγειοῦσαι, καὶ
ἀποπνίγειν ἐκπατάς, μή δυναμένας φέρειν τὴν
ἐν χιείᾳ ζωῆν.

8. Ἐχρώντο δὲ δαπάνη κένγχεψ, μάλιστα
ἐφίλεν δὲ καὶ ὀλιγαρχίαν, δυσχερῶς φέροντες
τὰς ἄλλας τῆς γεωργίας πόνους, διὰ τὸ ἐλευ-
θεριωτέραν, μᾶλλον φίλειν αὐτὰ τὴν διαγω-
γήν ποιεῖσαι καὶ ἅπονον, η σὺν πολλῷ κόπῳ
πολυτέλεικην βρωμάτων ή χρημάτων ἐπικί-
ζεισαι.

affici, is, qui tradiderat, bellum illi movebat: peregrini ultiōnem prae veneranda fide existimans esse potiorem.

6. Alterum quoque ipsis olim multo humanius esse videbatur; nam eos, qui bello capti apud ipsis versabantur, non indefinito tempore, donec scilicet ipsis vellent, in servitute detinebant: sed id ipsum potius captivorum arbitrio relinquebant, certo servitutis tempore illis praescripto; ut post certum illud tempus, si vellent, aut ad suos cum stipulata quadam mercede reverterentur, aut, si mallent, apud ipsis esse, liberi atque amici permanerent.

7. Castitate autem foeminae quoque ipsorum erant quam maxima; & tanta quidem, ut earum multæ suorum virorum mortem, suam propriam esse existimat, & se ipsæ suffocent; viduam tolerare vitam non sustinentes.

8. Vtibantur autem ad victimum milio; maxime autem etiam temperantiæ in cibis erant studiosi; qui alios agriculturæ labores permoleste preterea ferrent; quod liberaliorem & minus laboriosam agere vitam mallent, quam magno labore sumptuosos cibos, vel pecunias adipisci. 9.



9. Ὁπλίζοντο δὲ πότε μικροῖς ἀκοντίοις
ἵγενον ῥιπλαρίοις δυσὶν ἔκαπος ἀγήρ, τινὲς δὲ καὶ
σκυταρίοις μεγάλοις ἐπιμύκεστιν, οἷον θυρεοῖς.
ἐκέχρηντο δὲ καὶ τόξοις ξυλίνοις, καὶ σαγίτ-
ταις εἴχον πεχροτιμένας φαρμάκω, ὅπερ ἐσιν
ἐνεργητικὸν, ἐὰν μὴ δὲ λαβὼν τὸν πληγὴν ἢ
δημιουρὸν πάντη ἢ καὶ ἑτερον βούθημα ἀντιφράσμα-
κον, ἢ καὶ παρευθὺν περικόψει τὸν πληγὴν,
πρὸς τὸ μὴ διαδραμεῖν· πάντως γάρ ἂν καὶ τὸ
ὅλον σῶμα ἀπώλυται· καὶ δάστετι δὲ καὶ δυσ-
βάτοις οἰκεῖν καὶ καταφεύγειν φιλέστιν.

10. Ὁπως δὲ κατ’ αὐτῶν ἐποιεῖντο τὰς
ἐπιδρομὰς καὶ ἐφόδας ῥωμαῖοι τότε διηγησάμεν
ἔμπροσθεν ἐν τῇ περὶ ἀδοκύτων ἐφόδων δια-
τάξει, ἵνα καὶ αὐτὸς, ὃς ερατηγέ, εἰ καὶ μὴ
κατ’ αὐτῶν γῆν, ἀλλὰ κατὰ τῶν ὁμοίων αὐ-
τῶν, ἢ κατὰ ἑτέρων βαρεβάρων ποιέμενος ἀδο-
κύτες ἐφόδας, εἴγε ἄρα χρήσιμόν τι ἐκ τῆς
διατυπώσεως ἐκείνης· εὑρεθῆ, ἔχεις καὶ τέτο
ἔξ ἐτοίμα πρὸς τὸν δέεσταν χρείαν ὡς προγε-
γυμνασμένου,

9. Armabantur autem olim hastulis ; sive telis , singuli viri binis , quidam etiam scutis , magnis , oblongis , ad eorum instar , quos thyreos appellamus . Vt ebantur praetera arcubus ligneis , & sagittas habebant veneno illitas , quod est efficacissimum ; nisi is , qui plagam accepit , aut theriacam biberit , aut aliam medicinam , venenis resistenter ; aut illico vulnus circumcidet , ne venenum propagetur ; nam reliquum quoque corpus omnino periret . Denique in densis & aditu difficillimis locis habitare , atque in ea confugere gaudent .

10. Quemadmodum autem contra illos incursiones aggressionesque faciebant Romani , jam in antecedentibus a nobis explicatum est , cum de nec opinatis incursionibus agebamus ; ut tute o dux , sin minus contra ipsorum terram , at certe vel contra illorum similes ; vel etiam contra alios barbaros incursiones faciens , (siquidem id , ex illa de incursionibus informatione utile tibi videbitur) ut tute inquam hoc quoque ad necessarium usum habeas in promptu , quasi prævia exercitatione cognitum .



C A P V T II.

Præcedentis pericopes quædam loca illustrantur.

I. **S**i quis præcedentem pericopen se mel atque iterum diligentius perlegat, plane non dubito, quin facile sibi persuasurus sit, Græcos olim eadem fere ratione Slavicæ gentes, adhuc idolis deditas, sibi quoque imperio subjecere studuisse, qua nunc Europæi nostri, ac præsertim Hispani Americae aborigines atque indigenas imperio suo adjungere conantur: nam cum divina Christi doctrina ferocissimos quoque mores mirifice emolliat, mutuumque amorem atque omnia humanitatis officia suavissime doceat, mirum non est, Christianæ religionis disciplinam optimum illicium esse visam, cuius institutis feri quoque ac barbari populi servitutis jugum cervicibus suis imponerent.

II. Slavicæ populus, de quo hic Leo Sapiens agit, fuere Serblii, sive Serbi, ut
non

non modo ex regionis situ, sed ex ipso quoque Constantino Porphyrogenneto, Imp. Leonis Sapientis filio , de administratione imperii cap. 36. facile quisque per se cognoverit. Cur autem Serblii aut Serbi, a scriptoribus nostris appellati fuerint *Servi*, & provincia , quam colebant , *Servia*? nempe Græcorum hoc pronuntiatione factum esse existimem , qui alteram alphabeti sui literam non *Beta*, sed *Vita* efferunt, & *Serviam* pro *Serbia* appellant. Hos igitur Serbios sub suo patre Basilio Macedone , desertis veteribus transdanubianis sedibus suis, in cisdanubianas regiones commigrasse , & non Græcorum modo sacra, sed mores etiam esse amplexos, auctor nobis est idem Leo Imp. quam ob rem vehementer sane persæpe mirati sumus , Græcos illos mores, non admodum longo temporis intervallo , de Serbiorum innocentia, quam a natura gentilibusque suis didicerant, tantum , quantum Leonis oratio prodit, deterere potuisse ; nam ex Leonis dictis vehementer vereor , ut aliud intelligere possis , nisi Serblios simul Christianos & Græcos a Serbliis ethnicis valde tum suisse



diversos; cum idem Augustus scriptor magis dedisse operam videatur, ut quibus moribus Serblii olim fuerint, quam quibus ætate sua fuissent, memoriae proderet, quo consilio luculentissimum nobis lumen accensum est, ad quod veterum Slavorum mores & ceteras vitae rationes perspicere possemus. Etenim idem Leo diserte ait: Slavicos populos omnes moribus, viræ, victusque ratione, inter se convenisse, quam vetustissimam similitudinem ad hæc usque tempora perdurare, omnibus ethnologis certum atque exploratum est.

II. Et ad viictum quidem, quod attinet, nemo nescit, Slavicos populos omnes cibis uti tenuibus & paratu facilimis; milio scilicet, ut ipsemet Leo memorat, panicoque excorticatis, quibus aquæ aut lacte incoëtis pultem parare amant, qua lacte vel butyro, vel lardo liquato perfusa libentissime vescuntur, & Vngaris, solidiori cibo, carnium præsertim, assuetis, familiaris joci occasionem præbent, qui simulato puluis omnis & leguminum contemtu, Slavis Vngaris: *Kása nem étel, pultem non esse cibum*, occinere solent. Non solum autem

quo-

quotidiani, sed exquisitiores etiam cibi Slavis omnibus sunt communes; etenim gravissimus carpaticis Slavis cibus vulgo *Pirohy*, Russis *Piroghy* dictus, etiam Moskuæ urbis civibus, longissimo terrarum intervallo a Carpato remotis, est in deliciis.

IV. Alterum, quod Leo Sapiens memorat, est, Slavicas gentes omnes fuisse ingenuas atque liberas; cavebant enim Slavi quam maxime, ne alienigenis parere cogerentur; at suæ tamen gentis heris, dominis, ac principibus quodvis obsequium lubenter præstabant; nullum scilicet opus aut negotium servile esse arbitrati, quod ipsis, communis boni causa, ad universum populum suum pertinentis esset mandatum. His eorum opinionibus dexterime uti noverant Græci; nam quo obsequentioribus uterentur, principes iis, ex eorum gente dabant, ut, quemadmodum Leo ait, *quodam modo suis parerent*, & quantum in ipsis esset, libertatis veteris umbram retinerent. Atque hæc illa est verissima causa, cur Slavi, Græcorum subditi, recentioribus etiam temporibus despota suos ex sua

gen.



gente habuerint, Impp. Græcis clientelari
jure obnoxios.

V. Dixi paullo superius, Serblios ab Septentrionali danubii ripa in meridionalem, sive Græcorum solum, commigrasse; existimo enim, illa Leonis sapientis, Constantinopoli scribentis, verba : $\pi\acute{e}gav\tau\acute{a}$ δαυαβία, *ultra danubium*, aliter recte intelligi non posse; cum autem idem Leo transdanubianas partes omnes *propriam Slavorum regionem propriamque terram* appelleat, & Græcos & sui & nostri temporis consuetudine constanter Romanos nominet; veram erroris eorum originem retexisse mihi videor, qui Slavicos populos seculo primum sexto in Romanas provincias immigrasse commenti sunt: Immigrant quidem tum Slavi in provincias, sed in provincias *Novæ*, non *Veteris Romæ*, quam etiam ob rem inter doctos homines nunc jam belle convenit, ut post paullo ostensurus sum, Slavicos populos jam pridem ante & Dalmatiā & Pannonias obtinuisse, & fortasse cum ipsis veteribus Romanis pro Pannonicarum libertate dimicasse. Erant enim & Leonis Sapientis fide, &

pa-

patriorum Annalium auctoritate libertatis
suæ semper retinentissimi.

VI. Ejusdem Leonis fide certum est,
Slavicós populos virorum copia fuisse flo-
rentissimos, quod profecto, cum de cete-
ris Slavis omnibus, tum præsertim mon-
tium accolis, ætate quoque nostra, verissi-
me dici potest. Nam nisi innumerabiles
montis Carpati valles masculam sobolem
suam tanquam examina, aliorum avolatu-
ra, dimitterent; profecto eam Carpatus
ipse non modo non alere, sed ne capere
quidem posset: sed quia quotannis caræ
soboli suæ aliorum abeundi potestarem fa-
cere cogitur, eo fit, ut iis, qui remanent,
sic satis abunde alimenta suppeditet.

VII. Parcus est hic Leo in describen-
da veterum Slavorum re militari, quæ ta-
men a quoque, cuius intererit, ex Tacti-
corum Cap. XVII. ut ipsem Leo monet,
plane poterit cognosci. Ad laudes hospi-
talitatis & matronarum continentiae, qui-
bus idem Augustus scriptor Slavos mirifice
ornat, quod attinet, eæ, ut ceteræ res
omnes veteres, nongentorum fere anno-
rum spatio, damna quædam sunt passæ;



vigeret tamen & hospitalitas & pudicitia
apud eos præsertim Slavos, quibus pere-
grini mores adhuc sunt ignoti.


VIII. Ceterum & a tempore ipso &
ab hocce loco me admoneri animadverto,
ut sincerae caritati, qua Serblios, cum eos,
qui Turcica adhuc servitute gemunt, com-
plector; tum etiam eos, qui Vngarica li-
bertate lætantur, obsequar. Animadver-
tisse enim mihi videor, vigere adhuc inter
nos odolum quoddam, cuius vetus illa
discessio alta mente recondita, & a majo-
ribus nostris nobis vel præceptis, vel
exemplis tradita, vera esse origo videtur.
Cui enim notæ non sint, populares quæ-
dam contumeliae, ex illo odio natae, quæ,
tametsi in solo vigent vulgo, tamen ne in
illo quidem a sapientioribus tolerari pos-
sunt. Quid enim? an non Slavi Vngari
Serblios appellant *Geregos & Rätzos*, qui
tamen ipsos sui generis & sanguinis esse,
ignorare non deberent. Quid? an non
Vngari, significantius se loqui rati, eosdem
illos Serblios *Vad Ratzen*, id est, *silve-
stres five feros Græcos* compellant? Hæc
& ejus generis dicta, in genus sanguinem-
que.

que nostrum collata, non modo male do-
ctum atque eductum produnt animum no-
strum, sed publico etiam communique bo-
no obstat videntur. Nam si pietatem,
quam patriæ debemus omnes, præstare vo-
lumus; profecto non factis modo, sed
etiam populi frequentia Vngaricum nomen
extendere debemus. Sub finem seculi de-
cimi septimi, relicto natali solo Turcico,
redierant ad nos Serbliorum familie pâne
innumerabiles, quæ ab Imp. Cæs. Leopol-
do, Apostolico Rege nostro, benevolen-
tissime suscepitæ singularibus immunitatibus
fuere ornatae; quam autem ægre saluber-
rium hoc consilium tulerint plurimi, ne-
mo ignorat, quapropter me hic com-
morari non delectat. Corrigamus igitur
præteritorum temporum judicium, & Vn-
garicæ civitatis nostræ portas omnes Ser-
bliis aperiamus; nam cum & genus & san-
guis noster sint, omnia pariter pietatis of-
ficia illis, tanquam germanis nostris præ-
stare debemus. Imitemur imposterum pro-
vidas, & futuri memores formicas, quæ
nullam ad majorem cùmulum redeuntem
repellunt. Imitemur divini plane ingenii

api.



apiculas , quæ sui generis omnes alias ,
quas industria valere noverint , in sua al-
vearia admittunt , & solos fucos a *præse-*
pibus arcent.



C A P V T III.

Slavicos populos utriusque Pannoniæ abo-
rigines & autochthonas esse confirma-
tur.

I. **A**ntequam hoc argumentum tractare
instituo , necessario mihi sunt præponenda
quædam , quæ non omnibus fortasse lecto-
ribus meis sunt ita perspecta , ut eorum
commodo possint prætermitti . Ethnología,
cujus supra ob iter memini , est notitia
gentium populorumque , sive est id docto-
rum hominum studium , quo in variarum
gentium origines , idiomata , mores , atque
instituta , ac denique patriam vetustasque
sedes eo consilio inquirunt , ut de genti-
bus populisque sui ævi rectius judicium
ferre possint . Hoc studium , post historia-
rum

rum monumenta, variorum idiomatum cognitione, modo hæc intra modum procedat, maxime adjuvari nunc quidem jam inter omnes eruditos convenit, qui sæpe mirati sunt, necessariorum idiomatum rudes & sola latine patriæque linguae notitia fratres homines de ignotarum sibi gentium originibus, ceterisque ad eas pertinentibus, publice scribere esse ausos.

II. Qui de Slavicis originibus cum laude scripsere, pauci quidem illi sunt, sed centenorum loco facile esse possunt; scilicet illustris vir Jo. Christ. Jordan, & Aug. Ludov. Schlozerus; hic quidem in Septentrionali & Vniversali Historia sua, ille autem in præstantissimo opere de Originibus Slavicis. Sed Schlozerum Virum Clarissimum, mel & delicias meas, Jordano ipsi & semper præposui, & præponam; hic enim omni liberali doctrina politissimus vir, & in Slavicis historiis princeps, Russici præterea idiomatis, id quod ex illius præfatione, Nestoris Annalibus Russicis præfixa, facile quisque cognoverit, peritisimus, primus omnium & vidit, & monuit,

F

mi-



minime esse audiendos eos laboriosos quidem, sed nullius judicii scriptores, qui suis similibus persuadere volebant, Slavicis populos sexto primum seculo in Romanas provincias commigrasse, & in iis, quae adhuc tenent, locis confedisse, quod idem vir doctus tam falsum esse merito existimat, quam quod falsissimum; ac simul recte suspicatur, Slavos jam multo ante Dalmatiam, Daciam, Pannoniasque tenuisse, & pro harum libertate cum Romanis forrasse ipsis dimicasse.

III. Primus omnium, qui hanc Cl. Schlozeri opinionem refutare studuit, est Jo. Thunemanus, eloquentiae, philosophiaeque Hallensis Academiæ Professor; sed nostro quidem judicio tam jejune atque infeliciter, ut anno 1773. in periodicis philyris, quæ tunc hic Vindobonæ, *Die Anzeigen*, inscriptæ, edebantur, a pag. 291. ipsi ostendimus; qua etiam refutatione, cum præstantissimi Schlozeri opinione conjuncta, hic quoque, quia nostra est, uti constituimus. Nititur vero nostra illa refutatio potissimum auctoritate Imp. Constantini Por-

Porphyrogenneti, Leonis Sapientis, ut
jam diximus, filii, qui in opere suo de
administrando imperio Cap. XXXVI. de
his ipsis, de quibus adhuc egimus, Serbliis
quædam scitu dignissima, & nostris usibus
belle inservientia literis mandavit; quam
etiam ob causam non ingratum illum lo-
cum lectoribus fore existimem, si illum hic,
utroque idiomate legendum obtulerim: igi-
rur Imp. Porphyrogenitus ea de re sic
fatur:





ΚΕΦΑΛΑΙΟΝ ΛΣ'.

Περὶ τῶν Παγανῶν, τῶν καὶ Ἀρεντα-
νῶν παλεμένων, καὶ τῆς νῦν οἰκεσι-
χώρας.

Οτι ἡ χώρα εἰς τὴν νῦν οἰκεσιν οἱ παγανοί
ἢ αὐτη πρότερον παρὰ τῶν ῥωμαίων ἐκρατεῖ-
το, τὸς ἀπὸ ῥώμης δὲ Καστιλεὺς Διοκλητιανὸς
μετοικίσας ἐν Δαλματίᾳ ἐνώκισε· οἱ δὲ αὐτοὶ
παγανοὶ ἀπὸ τῶν ἀβαπτίζων Σέρβλων κατά-
γονται, ἐξ ἑκείνων τῇ ἀρχοντος τῇ πρὸς τὸν
Καστιλέα Ἡράκλειον προσφυγόντος· παρὰ δὲ
τῶν Ἀβάρων καὶ αὐτὴ ἡ χώρα αἰχμαλωτισθεῖ-
σα ἡρήμωται, καὶ πάλιν ἐπὶ Ἡράκλεια τῇ βα-
σιλέως ἐνώκιδη. Παγανοὶ δὲ καλεύνται, διὰ
τὸ μὴ καταδέξασθαι αὐτές τῷ τότε καιρῷ Κα-
πτιδῆναι, ὅτε καὶ πάντες οἱ σέρβλοι ἐβαπτίσθη-
σαν· καὶ γὰρ παγανοὶ τῇ τῶν σκλάβων διαλέ-
κτω ἀβαπτίσοι ἐρμηνεύονται· τῇ τῶν ῥωμαίων
δὲ διαλέκτῳ ἡ χώρα αὐτῶν Ἀρεντα παλείται,
ἐξ ἦς κάκεινοι παρὰ τῶν αὐτῶν ῥωμαίων ἀρεντά-
νοι καλεύνται· ὅτι ἐν παγανίᾳ εἰσὶ κάρα οἱ
κάμε·



C a p. 36.

*De Paganis, qui & Arentani appellantur,
& de ea, quam nunc habitant, regione.*

Regio etiam illa, quam nunc Pagani incolunt, primitus a Romanis tenebatur, quibus Roma deductis Imperator Diocletianus in Dalmatia sedes assignavit. Et oriundi sunt etiam ipsi Pagani a Serbliis non baptizatis, ab eo scilicet principe, qui ad Heraclium Imperatorem confugit. Capta vero itidem ab Abaribus & vastata haec regio, sub Heraclio Imperatore rursum incolis frequentari cœpit. Pagani autem dicuntur, quod baptismum non accepissent eo tempore, quo Serblii omnes baptizati erant. Etenim Pagani, Slavorum lingua, baptismi expertes dicuntur; Romanorum vero dialecto regio eorum Arenta nuncupatur; unde ipsi a Romanis Arentani appellantur. Habet Pagania urbes habitatas, Mocrum,

F 3

Be-



κέμενα, τὸ μόκον, τὸ Σερβίλια, τὸ ὄξωκ,
καὶ ἡ λαβίγετζα· κρατέσι δὲ καὶ ταύτας τὰς νῆ-
στας· νῆσος μεγάλη ἡ Κέρκρα, ἢτοι τὸ κίκερ,
ἐν ᾧ ἐπὶ καέρον· νῆσος ἑτέρα μεγάλη τὰ
κέλετα, ἢτοι τὸ μαλοζέάται· ἢν ἐν ταῖς πρά-
ξεσι τῶν ἀποσόλων ὁ ἄγιος Αὔκας μέμνυται,
μελίτην ταύτην προσταγορεύων· ἐν ᾧ ἂν ἔχῃς
τὸν ἄγιον Παῦλον ἀπὸ τῆς δακτύλις προσήνθα-
το, ἢν δὲ τῷ πυρὶ ὁ ἄγιος Παῦλος κατέφλεξε·
νῆσος ἑτέρα μεγάλη τὸ φάρα· νῆσος ἑτέρα
μεγάλη ὁ Βερτζης· εἰσὶ δὲ διὰ ἑτέραις νῆσοι αἱ
μὴ κρατέμεναι παρὰ τῶν αὐτῶν παγκανῶν· νῆ-
σος τὰ χόρας, νῆσος ἡλίς, νῆσος τὸ λά-
σον,



Berullia, Ostroc, & Labinetza: possident
item Arentani insulas magnas, unam, quæ
Curcra sive Cicer dicitur, in qua habetur
& urbs: alteram, quæ Meleta, sive Malo-
zeatæ; cuius in actis Apostolorum Sanctus
Lucas meminit, Melitem eam appellans:
ubi & vipera divi Pauli digitum mordens,
ab eo excussa, igne conflagravit; tertiam
insulam magnam, quæ Phara dicitur; quar-
tam, quæ Bratzes. Sed & aliæ præterea
insulæ sunt, quæ ad Paganos non pertinent,
Choara, Jes & Lastobon.



IV. Haec tenus Porphyrogenitus. Multi in hoc capite observatu digna occurunt, multa etiam, quæ illustrari merentur; quæ quia jam eruditis adnotationibus suis meliore in luce posuit Bandurius Anselmus, vir incomparabilis, Imperii sui Orientalis Tom. II. eam ob rem omnibus iis prætermis, pauca quædam hic adjicere placet, ac primum quidem: Slavicos populos Imp. Constantinopolitanorum, præsertim vero Heraclii beneficio, in Dalmatiam reductos esse, atque eo etiam nomine ipsis præ certis cunctis omnia in Dalmatiam atque insulas jura competere; deinde Paganiæ urbium nomina omnia omnino Slavicæ originis esse; denique commemorari a Porphyrogenito nomen Slavicum *Paganus*, nota chronica insigne. Omnia enim vocabula, quæ certam temporis notam præferunt, maximi sunt in ethnologia ponderis, præcipue vero ea, quibus historicorum fides atque auctoritas suffragatur. Ait igitur Porphyrogenitus, vocabulum *Paganus* esse Slavicum, & baptismi expertem significare, cum quo nos quoque consentimus, tametsi non ignoremus, cum Baronio,

tum

tum etiam Bandurio aliter videri. Et Baronius quidem compluresque alii existimaverunt, tum primum gentiles a sacris Christianis alienos *Paganos* appellari cœptos, cum profanus deorum cultus ab urbibus proscriptus esset, & ipsi ethnici sive gentiles, in *Pagos* sese recipientes, ibidem deos suos colerent, & clandestinis sacrificiis vacarent. Sed profecto inconsulto Porphyrogenneto hæc a Baronio ceterisque scripta esse nullus omnino dubito; quid enim? an existimem, ignotum fuisse Pagani etymon Porphyrogenneto, viro græcis literis politissimo; nescivisse, quid πάγος significet; ignoravisse illam ex urbibus deorum cultus in *vicos* migrationem? equidem nunquam inducar, ut de augusto illo scriptore tam male existimem, & plus auctoritatis Baronio, in græcis præfertim, quam Porphyrogenneto tribuam. Migrationem igitur deorum cultus ex urbibus in pagos fabellam esse, tegendæ ignorantiae gratia confictam, semper prædicabo, dum ab aliquo Baronii patrono veri similiora doctus non fuero.



V. Paullo gravior est Bandurii auctoritas, vocabulum *Paganus* Slavicæ originis esse negantis; fuit enim Bandurius ipsemet Slavus Ragusinus, & in laudato opere suo Ragusinæ Slavicæ linguæ se peritum fuisse pluribus locis comprobavit; non videtur tamen aliarum Slavicarum dialectorum ullam notitiam habuisse, nam si ceterarum quoque dialectorum vel mediocrem habuisset usum, nullus dubito, quin longe aliter de *Pagani* etymo judicaturus fuisset. Cetum enim jam atque exploratum est, innumerabiles pæne Slavicas dialectos in duas præcipue dividi, scilicet in eam, quæ literam h. pronuntiat; et eam, quæ loco literæ h. gamma græcum usurpat. Literam h. pronuntiant Bohemi, Moravi, & Slavi Vngari; ceteri vero Slavici populi omnes loco literæ h. gamma græcum efferunt. Slavus Vngarus *caput* nominat *hlava*, quam vocem Serblius pronuntiat *glava*, Russus autem *golova*, ex quibus exemplis etiam illud præterea discas, eos Slavos, qui literam *gamma* amant, plerosque voces, a duabus consonantibus incipientes, non efferre, nisi interposita aliqua vocali, & literam

teram a. sono ad literam o. accedente pronuntiare, ad eum fere modum, quo vulgus Austriacorum vocalem a, cum vocali o, solet permutare.

VI. His observatiunculis, quas diligenter colleetas longiori usu confirmare studui, neque unquam cum Bandurio consentiam, & semper affirmabo, vocabulum *Paganus* Slavicæ originis esse. Etenim si idem vocabulum vel Græcæ vel Latinæ originis esset, profecto ab omnibus Slavicis populis eodem pariter sono pronuntiarentur, quod tamen ita non esse Slavi omnes adtestabuntur; nam ethnicum sive gentilem, id est, eum, qui Christianis sacris initiatuſ non sit, alii quidem appellant *Pogan*, alii vero *Pohan*, maximo certe argumento, etymon ipsum Slavicum esse debere; est vero illud non aliud, nisi quod nunc etiam Slavis Vngaris usitatissimum est, scilicet *Hanit*, quod *temnere*, *vilipendere* significat, cui si praepositionem *po*, addas, *contemnere* significabit, quam etiam ob rem iisdem Slavis Vngaris *Pohanen*, *contemnū*, *vilipensum* significat. Idem olim

Po-



Pogan & Poganin eis etiam Slavis ; qui literam *gamma* adamaverant , certe significaverit , unde factum est , ut cum Slavi , Græcis vicini , Græcos ipsos , tanquam suorum deorum cultu alienos , *Paganos* appellariint ; Græci vicissim Slavos ; idolis deditos , proprio eorum vocabulo *gentiles* ethnicosque appellavere .

VII. Si quis fortasse objiciat , in vocabulo *Paganus* primam syllabam cum vocabulo Slavico *Pogan* , non consentire , illi observatiunculas nostras , supra propositas , ut relegat , suademus ; cum certum atque exploratum sit , dialectum Russicam & Serblicam , quae olim ad danubium et per vicinas regiones diutissime viguere , literam a. cum litera o. et vicissim commutavisse : certissime hoc cognosci potest ex nomine celeberrimi lacus , sive paludis Vngaricæ , cui *Balatoni* nomen est ; hunc enim lacum aut a Russis , aut eorum similibus Slavicis populis , appellatum fuisse *Boloto* , quod vocabulum *lutum* , sive *paludem* significat , dubitari nequit ; *lutum* vero vel *palus* cultiori Moskuæ urbis dialecto *Balato* et *Bla-*
to

zo appellatur; quae pronuntiatio cum ea,
qua Slavi Vngari idem vocabulum & eadem
omnino significatione efferunt, perbelle
convenit, ex quo unico exemplo (nam
centena ejus similia facile adduci possent,)
quisque facile intelliget, in Slavicis diale-
ctis vocales a. et o. saepissime permutari.

VIII. Vetustissimi scriptores nostri do-
mestici, ut Belae Notarius & vetera diplo-
mata, Moschonensem paludem, vulgo
Ferto, parvum *lutum*, & Balatonem ipsum
magnum *lutum* appellavere. De Balatone
adtestantur literae fundationis Benedictini
monasterii de *Tihany*, anno MLV. editæ,
de Moschoniensi vero Belae Notarius cap.
LVII. ubi a Zulta duce metas regni positas
esse ait, de limite austriaco hæc scribit:
ex parte, inquit, Theotonicorum usque ad
pontem Gvnzil, & in eisdem partibus dedit
castrum construere RvtHenis, qui cum AL-
mo duce, avo suo, in Pannionam vene-
rant, & in eodem confinio, ultra lutum
Mvsvn; collocavit etiam Biffenos non
paucos habitare pro defensione regni sui
&c. Hæc ille; quæ lucem etiam affundunt

duo-



duobus vocabulis Austriacis; Austriaci enim ceterique Germani *Balatonem* appellant *Blatensee*, a Slavico scilicet etymo *Blato*, *lutum*; Moschoniensem vero paludem *Neufidlersee*, propter scilicet Bissenorum colonias a Zulta duce tuendi defendendique limitis causa illuc ducetas.

IX. His igitur omnibus in unum collectis equidem non dubito, quin quisque facile perspecturus sit, Porphyrogenetum recte & sensisse & scripsisse, vocabulum *Paganus*, Slavis *baptismi expertem* notare, quod vocabulum, cum jam seculo tertio & quarto adeo familiare scribentibus fuerit, ut in legibus etiam occurrat, gravissimul argumento est, Slavicis populos Græcis jam pridem ante seculum a Christo nato sextum fuisse cognitos. Ad leges quod attinet, occurrit hoc vocabulum, L. XVIII. Codicis Theodosiani de Episcopis, quæ constitutio ad Valentinianum & Valentem refertur, per quæ tempora Marius Victorinus Afer contra Arianos scripsit, & in ceteris hæc etiam memoriae prodidit: *Græci, quos ἔλληνες vel Paganos vocant, multos deos*

deos dicunt &c. quibus verbis nihil aliud indicare videtur, nisi Græcos gentiles a Græcis Christianis per contemptum *Paganos* esse appellatos: quæ interpretatio robur præterea suum sortitur ab L. XLVI. Cod. Theodos. de hæreticis, ubi hæc leguntur: *gentiles, quos vulgo Paganos appellant* &c. Elucet hoc ipsum etiam ex S. Augustini libro II. Retract. cap. 34. ubi scribit: *deorum falsorum multorumque cultores, quos usitato nomine Paganos vocant* &c. usitato inquit nomine, certe non latino, verum peregrino, & usu solum latina civitate donato; cum in hoc & hujus similibus sanctæ veræque fidei argumentis præstet semper planius, quam latinus scribere.

X. Alterum Slavicum vocabulum, quod certam ætatis suæ notam gerit, sunt nomina propria Imp. Justini Senioris ejusque conjugis. Fuit Justinus Senior, omnium scriptorum testimonio patria *Thrax*, id est, ex ea regione, quæ postea Bulgaria appellata fuit. Conjugem habuit, ut Procopius Cæsariensis in historia arcana, & Victor Tunnensis in Chronico scribunt,

λεπτο-



λεποικίνη, latine *Lupicinam* appellatam, quod nomen idem Procopius *ignominiosum* appellat. Enimvero fuit re ipsa ignominiosum, sed a nemine adhuc, quod equidem certo sciam, ad verum suum etymon reductum: quod est vox Slavica *Lubit*, quæ Slavis fere omnibus *amare* significat; scriptores enim coœvi omnes memorant, Justinum illam primum conjugis solum loco habuisse; unde facile intelligas, cur *Lubitschina* fuerit appellata, quod Slavicum nomen *amatam & concubinam* notat, & non solum Procopio teste, sed natura etiam sua ignominiosum est; cur autem Græci λεποικίνη scripserint, ratio in promtu est, qui & litera b. & ci, Italice pronuntiato, caruere; alteram enim alphabeti literam, ut jam alias monui, constanter ut v. pronuntiare erant soliti, & Italicum Slavicunque ce, vel ci omnino ignorabant. Fuit vero *Lubitschina* prima Justini uxor, quam is Imperator factus Augustam dixit, & Euphemiam, melioris ominis causa, nominavit. Consule de his, si vacat, Paulum Diaconum Lib. VII. Jornandem de Regno Lib.



Lib. I. Pomponium Laetum & Zonaram
in Justino.

XI. Tertium & quartum vocabulum Slavicum, notam temporis præferens, sunt nomina patris & matris Imp. Justiniani Magni, Justini Senioris ex sorore nepotis; nam Theophilus, Justiniani adolescentis præceptor, diserte ait: patri discipuli sui fuisse nomen *Isztok*, & matri *Viglenicza*. Vtrumque hoc nomen Slavicum esse, res ipsa confirmat; *Iszty'* enim certum hominem, veracem & justum significat, unde formatum *Isztok*, Justinus; eadem plane forma, qua ex *Piaty'*, quod quintum significat, factum est substantivum *Piatok*, id est: *dies quintus*, sive *dies Veneris*: & ex *Divi*, ferus; *Divok*, bos ferus. *Viglenicza* autem, si altera dialeto scribatur, *Vihlenicza*, deductum a *Vihledit*, diligere; *delečtam* vel *dilečlam* notat, & castæ ac probæ matronæ perbelle convenit; at *Vihlednicza* tamen rescribendum esse videtur.

XII. Quintum persimile vocabulum Slavicum est nomen proprium ipsiusmet

G

Ju-



Justiniani Magni, quod in adolescentia & ante Imperium tulit; idem enim Theophilus, auctor sane certe gravissimus, scribit: discipulo suo nomen fuisse *Vpravda*, quod non aliter, nisi *Justinianus*, recte Latine redi & verti potuit, *Vpravit* enim Slavis omnibus *rectum facere & jus dicere* significat; quod enim nunc *Prawo*, id est, *jus vel tribunal*, appellant, id olim *Prawda* dicebant. Potest hoc videri plurimis in locis notissimi apud nos libelli: *Ritus explorandæ veritatis*, inscripti, ubi de Curiali Comite, id est, Vice-Comite persæpe scribitur: *& misit eos ad PRAWDAM Varadimum*, id est, *ad jus sive judicium ferri cendentis*.

XIII. Atque ex his, speciminis gratia adductis, facile intellecturos lectores meos sperem, eam gentem, quæ generis sanguinisque sui tres Imperatores Imperio Græco & quide[m] jam seculo quarto dederit, quæ jam tum populo suo plurimas provincias impleverit, seculo primum sexto in Romanas commigrare provincias non potuisse. Cum autem Slavicos populos in

Pan-

Pannoniis vicinisque provinciis aborigines
 atque autochthonas esse aio, id ea lege mi-
 hi concedi postulo, ut tam diu Slavi in
 possessione hujus tituli permaneant, dum
 quispiam alius vetustiorem Slavis populum
 non indicaverit, qui Pannonias ceterasque
 vicinas provincias ante Slavos coluisse; qui
 tot urbium, oppidorum, vicorum, mon-
 tium, vallium, fluviorum, lacuum, palu-
 dum idiomatis sui nomina reliquisset. Et
 enim si quis hujus generis nomina Slavica
 per utramque Daciam, Thraciam, Bulga-
 riā, Serviam, Illyricum, Pannonias ve-
 teres collecta, & notis necessariis illustrata
 edere vellet, profecto spissō majoris for-
 mæ volumine opus haberet: ubi enim nunc
 nulli, ut in Transilvania, Slavi sunt, tamen
 ibidem quoque ad hanc usque diem urbes,
 montes, fluviique clamant, vetustissimos
 suos incolas fuisse Slavos, & ab illis indita
 sibi nomina ad hoc usque tempus ferre.
 Celebris Transilvaniæ urbs *Bisztricza* a
 cognomine fluvio *Bistricza* nomen habet.
 Eodem quoque nomine gaudet, & quidem
 eadem ipsa de causa, per celebris Montana
 Vngariæ urbs Slavis *Bisztricza* appellata.

G 2

Russi



Russi quoque, in *Kamtschatkam* penetrantes, celebrem fluvium *Bisztraja* dixere, subintellesto substantivo *Rieka*, *fluvius*, aut *Woda*, *aqua*. Cur autem ita? nempe quia *Bisztry'* Slavis omnibus clarum recentemque notat, inde translate *Bisztre* *Otschy*, claros recentesque oculos significat. Sed has ceterasque hujus generis antiquitates Slavicas aliis, quibus plus otii fuerit, investigandas relinquo.



SECTIO III.

SVMMA IVRIS PVBLICI , QVO VN^E
GARI, SECULO NONO ET DECIMO, ID
EST, SVB DVCIBVS SVNT VSI.

CAPVT I.

*Leyes atque conditiones, quibus Almus,
Vgeki filius, ante suscep^tam ex Asia in
Europam profectioⁿem, a sex Vngaro-
rum Ducibus Dux princeps est ele^ctus.*

Si quis instructam veterum Vngarorum
aciem atque hosti oppositam ex Leonis Sa-
pientis testimonio aestimet, atque contem-
pletur animo; si admirabilem ejus ordinem,
conversiones, ac severissimam ejus discipli-
nam secum reputet; equidem nullus dubi-

G 3 to,



to, quin facile sibi persuasurus sit, ea omnia,
neque sine Tacticis institutionibus summaque
a teneris annis exercitatione addisci, neque
sine legibus militaribus vigere conservari-
que potuisse. Vtrum vero præterea ha-
buerint leges, quibus Jus publicum univer-
sæ civitatis, quæ tum in castris erat, con-
tineretur, nemo adhuc, quod equidem
certo sciam, aut docuit, aut ostendit. Ha-
buisse vero, & jam seculo nono & decimo
illis fuisse usos, omni dubitatione nos libe-
ravit incertus quidem ille scriptor, sed au-
ctor certus, Regis Belæ Notarius, ex per-
vertutio Codice membraneo Augustæ Biblio-
thecæ nostræ, a Cl. Schwandnero, singu-
lari diligentia, in lucem productus, qui in
laudato opere suo de primis septem Vngar-
orum ducibus memoriae prodidit, eos collati-
sis consiliis, ante suscepitam ex Asia in
Europam profectionem, Almum, Vgeki fi-
lium, his legibus atque conditionibus prin-
cipem sibi Ducem delegisse, & easdem se
leges atque conditiones perpetuo servatu-
ros jurejurando sanxisse.

II. Nihil dignius literis, nihil posteris
utilius ad nos transmittere poterat idem Be-
læ Notarius; sunt enim & esse debent eæ
leges, tametsi perpaucæ sint, tantæ apud
nos auctoritatis tantique momenti, ut uni-
versi Juris nostri publici verissima origo
possint merito dici; quam etiam ob causam
eas hic, & ipsissimis quidem Notarii ver-
bis, subjecere placet.

I.

*Vt, quamdiu vita duraret, tam ipsis,
quam etiam posteris suis; semper ducem
haberent de progenie Alni ducis.*

II

*Vt, quidquid boni per labores eorum
acquirere possent, nemo eorum expers
fieret.*

III.

*Vt isti, principales personæ, qui sua
libera voluntate Alnum sibi dominum ele-
gerunt, quod ipsi & filii eorum nunquam a
consilio ducis & honore regni omnino pri-
varentur.*

G 4.

IV,



IV.

Vt, si quis de posteris eorum infidelis fieret, contra personam ducalem & discordiam ficeret, inter duces & cognatos suos; sanguis nocentis funderetur; sicut sanguis eorum fuit fusus in juramento, quod fecerunt Almo duci.

V.

Vt, si quis de posteris Almi ducis & aliarum personarum principalium iuramentum statuta ipsorum infringere voluerit, anathemati subjaceat in perpetuum.

III. Hactenus Leges; quarum auctores ne ignorarentur, cavit sollicite Notarius, & posteaquam leges ipsas literis mandarat, hæc, totidem verbis exscripta, eisdem subjecit: *Horum, inquit, septem Virorum nomina fuerunt: Almus pater Arpad, Eleud pater Zobolsu, a quo genus Saac descendit, Cundu, pater Curzan. Ound pater Ete, a quo genus Calan, & Colsoy descendit. Tosu pater Lelu. Huba, a quo genus Zemera descendit. Septimus Tuhutum, pater Horca, cuius filii fuerunt*

runt Gyyla & Zombor, a quibus genus
Moglout descendit &c.

C A P V T II.

Eadem leges paullo uberius explicatae.

I. Prima igitur lege, communi ducum omnium consilio perlata, sanctum fuit; ne Vngari in posterum alios duces principes, nisi ex Almi progenie, haberent. Observatam quam religiosissime hanc legem a nostris fuisse, testes sunt Annales libri nostri, testis Almi sanguis, qui per sexum femineum ad nostra usque tempora propagatus etiam in Imp. Cæs. Iosepho II. Aug. adhuc viget; qui res maximo Duce Princepsque dignas agitat; qui denique Vngaros suos aestimat, diligit, amat, ut nuper admodum a Palma Carolo & Katona Stephano, viris clarissimis, & rerum patriarcharum studiosissimis, publice confirmatum est. Pertinueritne ad utrumque sexum hæc suc-

G 5 cesso,



cessio, a primis septem Vngarorum duci-
bus constituta, quare potest; sed ad utrum-
que pertinuisse nemini quidem dubium esse
potest, qui certo sciat, *progeniei ac poste-*
ritatis vocabulis apud nos utrumque sexum
significari; deinde, exarescente Divi Ste-
phani in Emerico filio mascula stirpe, Pe-
trum, ejusdem sancti Regis ex sorore ne-
potem, eidem successisse; denique A. C.
1300. Andrea III. liberis orbo, diem suum
obeunte, Carolum I, jure successionis fe-
mineo regni nostri esse potum; qua de
successione Optimates cum Equestri Ordine
editis literis, quæ in Posoniensis thesauri
regii tabulario adhuc superant, hæc san-
xere: Nos igitur, inquiunt, ejusdem Re-
gni bonum statum & commodum ex ani-
mo intendentes, diligenti collatione præ-
habita, Dominum nostrum Karolum, ac
posteritatem ejus, prout regalis successio
exigit, in Regem Hungariae ac naturalem
Dominum perpetuum suscipimus &c. Hoc
igitur *posteritatis* sive *progeniei* jure Lu-
dovico I. successit Maria, ejus filia, hoc
etiam Imp. Cæs. Carolo VI. Aug. & Regi

Apo-

Apostolico pariter succedit M. Theresia Augusta.

II. In hac autem successione semper primogeniturae habitam fuisse rationem, vetustissima consuetudo & perpetius ejusdem apud nos usus declarant; at ea tamen lege, ut is filiorum Regi patri succederet, qui Judicio ac voluntate ejus Regni heres esset designatus, ad eum scilicet plane modum, quo memoria nostra utriusque Siciliæ Rex, judicio & voluntate patris, fratri primogenito prælatus est: hanc enim consuetudinem apud nos quoque viguisse, & vetera literarum monumenta docent, & Sigilla Regia confirmant. Nunc primogenitorum succedendi jus non consuetudine modo, sed etiam lege scripta, cui Sanctioni Pragmaticæ nomen est, munitur; quam etiam ob causam optare debemus, ut omnes Augustæ Domus nostræ primogeniti, tanquam nati regni nostri heredes, exemplo Divi Emerici & ceterorum primogenitorum omnium, cum primum lucem adspexerint, Ducum Vngariæ titulos ferant.

III.



III. Alterius legis recte intelligendæ gratia in memoriam revocare debemus, omnes Juris universalis publici magistros in eo consentire, gentem quampiam ingenuam & liberam, cum sibi summum Imperantem dat, tantum potestatis in eum conferre posse, quantum velit; tantum vero velle debere, quantum saluti suæ libertati que expedire judicet. Hoc consilio Vngari quoque nostri collatam Almo potestatem ea lege circumscriptam esse voluere, ut is, quidquid communibus laboribus & periculis partum esset, ne suum proprium, sed universæ gentis esse arbitraretur, & eo nomine eorum omnium ceteros etiam duces, commilitones suos participes facheret.

IV. Ex hoc igitur fonte manavare apud nos patrum avorumque nostrorum querelæ veteres, Regem nihil sibi privatim, sed omnia coronæ suæ & regno publice acquirere; bona omnia sive hostibus erupta, sive in fiscum relapsa bene de regno deque regia corona meritis esse conferenda; nihil, quod avulsum sit, & ad reliquum regni corpus pertineat, regem privatim, separatim-

rimque possidere posse; Transsilvaniam & Banatum Temesensem cum Vngariæ regno conjungendum. Sed nimirum optatissima illa conjunctio divinæ IOSEPHI II. Aug. & Regis nostri Apostolici sapientiæ atque felicissimis temporibus nostris procuranda servabatur; quod enim avi nostri optare quidem, sed vix sperare poterant, id nos, illis multo beatores, IOSEPHI II. paterna erga nos caritate factum confectumque læti gratique intuemur.

V. Ceterum alteram hanc legem a Duce Arpado, Almi filio, religiose observatam fuisse intelligitur ex Belæ Notarii narratione, qua Pannonicarum Daciæque regiones, ab Arpado, ceteris Ducibus, lege fiduciaria, in perpetuum collatas recenseret; digna vero est illa narratio, quæ a lectoribus quoque nostris semel atque iterum relegatur, nam ex ea certissime discent, Arpadum nihil plus juris & dominii ceteris ducibus in eas regiones concessisse, quam quod, salva lege altera, concedere poterat; contulisse quidem, ut loqui amamus, dominium utile, at dominium eminens &

di-




directum sibi, id est, genti Vngaricæ universæ, cuius bonorum minister solum erat, retinuisse: quæ omnia, ut certius perspiciantur, Notarii de Tuhutumo & Transilvania narrationem, quia brevicula est, hic subjiciam; en ejusdem ipsissima verba: *Caput XXIV. de Terra Ultra Silvana.* Et dum ibi diutius morarentur, tunc Tuhutum pater Horca, sicut erat vir astutus, dum cœpisset audire ab incolis bonitatem terræ ultra silvanæ, ubi Gelou quidam Blacus dominium tenebat, cœpit ad hoc anhelare, quod si posse esset, per gratiam Ducis Arpad domini sui, terram ultra silvanam sibi & suis posteris acquireret, quod & sic factum fuit postea. Nam terram ultra silvanam, posteritas Tuhutum usque ad tempus S. Regis Stephani habuerunt, & diutius habuissent, si minor Gyla cum duobus filiis suis Bivia & Buena, Christiani esse voluissent, & semper contrarie sancto Regi non fuissent, ut in sequentibus dicetur.

VI. Et hoc Notarii testimonio facile cognoscitur ejus doni natura, quo Tuhutum

mus

mus a Duce Arpado erat donatus; nam
diserte Norarius ait: *Tuhutum per gra-*
tiam Ducis Arpad, domini sui, terram
Vltra Silvanam sibi & posteris suis ac-
quisivisse; & eadem usque ad sancti Ste-
phani tempora posteritatem ejus possedisse,
ac diutius etiam possessuram fuisse; nisi mi-
nor Gylas, Tuhutumi pronepos, odio
Christianæ Religionis, quam sanctus Ste-
phanus cum ceteris Optimatibus amplexus
erat, res novas molitus a sancto Rege
prælio vicitus esset, & eadem provincia
muletatus. Ex eo tempore sex & viginti
annis supra quingentos possidebatur Tran-
silvania perpetuo Regum Vngariae benefi-
cio legibusque fiduciariis a variis Optimati-
bus, qui postea Wojvodorum, id est, *bel-*
li ducum titulis fuere illustres: dum deni-
que Joannes Zpolya Turcorum Othoma-
nidarum opibus & exercitibus fretus, Tran-
silvaniam ab Vngaria avellere, ac sibi filio-
que suo adserere instituit. Quædam etiam
præterea inter ipsum & Imp. Ferdinan-
dum I. intercessere paœta, quemadmodum
item & alia inter principem Michaëlem
Apassium & Imp. Leopoldum, sed cum il-

la



la primum insciis, deinde vero contradicentibus etiam Regni Vngariae statibus ordinibusque fuere inita, nihil unquam Coronæ Vngaricæ Juribus obesse potuere, neque unquam obfutura sunt, ut commodiori loco pluribus, & professo studio confirmaturus sum. Ceterum ab Arpadi ætate usque ad annum 1526. nullus Dux cum aut Regum nostrorum separatos Transilvaniæ ab Vngaria titulos tulit; in vetustis etiam diplomatibus Transilvaniam, minorem aut alteram Vngariam fuisse appellatam, memini me legere; ita semper Vngaria & Transilvania pro uno eodemque regno fuere habitæ, & neque re ipsa, neque ullo jure, sed solo situ & nomine inter se unquam fuere diversæ.

VII. Tertia lege juratus promittebar Almus, se neque ceteros duces, quorum libera voluntate supremus Vngarorum dux factus esset, neque eorum filios unquam a suo consilio, aut a ministeriis ducatus vel regni amoturum esse. Etenim nullum dubium est, quin hac lege electores duces cum sibi, tum etiam universæ posteritati
Vnga-

Vngaricæ consulere voluerint; nam translatō in unum ducem imperio, hoc ipsum imperium, quo libertas universæ gentis esset securior, Optimatium consiliis temperatum esse voluere; quæ etiam illa vera est causa, cur superius ad Leonis sapientis verba: *unius parent imperio*, addiderim: *Optimatium tamen consiliis temperatum.* Quanti vero hæc lex apud nos semper fuerit momenti; quæ instituta; & quot leges publicæ, cursu temporum, ex illa sint natæ, suis locis indicare non negligam.

VIII. Quarta lex criminis læsæ Majestatis, & infidelitatis reorum, item calumnias & discordias ferentium capitales pœnas continet. Ad discordias quod attinet, videtur hoc crimen Andreæ II. & Belæ IV. ætate in Vngaria nostra multo fuisse antiquius; at his sub Regibus quam maxime viguisse exploratum habeo. Ceterum legem hanc fontem atque originem esse ceterarum omnium, quæ contra ejusmodi crimina postea sunt latæ, clarum atque perspicuum est. De solennibus juramenti, quo septem duces sese obstrinxere, deque

H

mif-



missa in unum vas a singulis sanguine, cu-
jus in hac lege sit mentio, cum ab aliis
copiose jam actum sit, pluribus agere su-
perfedeo.

IX. Quinta lege paciscuntur duces,
ut, si quis unquam vel Almi supremi du-
cis posteriorum vel aliorum ducum his pa-
ctis non staret, & dictum violaret jura-
mentum, is anathemate feriretur. Hæc a
Notario per prolepsim scripta esse certum
est; erat enim tum Vngari, cum has le-
ges fanciebant, adhuc ethnici, neque de
anathemate ecclesiastico quidquid sciebant:
Vero tamen est simillimum, anathematis
vocabulo hic intelligi eam illorum tempo-
rum pœnam, qua dignitate, ordine, gra-
du, immo etiam natione movebant eum,
qui in commoda publica aut in gentis
universæ jura aliquid commisisset. Est ve-
ro hæc lex prima origo illius partis Art.
31. fundamentalis decreti Andreæ II. quæ
Regi resistendi & contradicendi potesta-
tem genti Vngaricæ faciebat; nunc vero
communi Statuum consensu abolita vim
suam omnem amisit.

CA-

C A P V T III.

De Regni finibus, seculi decimi, ac præsertim Zoltano, Duce III. rerum potiente:

i. Alterum ad Jura nostra publica pertinens & quantivis pretii monumentum a Belæ Notario literis mandatum, sunt fines Regni seculo decimo a Zoltano, Duce III. constituti, quod monumentum pariter totidem Notariorum verbis huc transcribere & brevibus explicare spe pretii operæ placet; sic igitur ille: *Caput LVII. De constitutione Regni. Dux vero Zulta, post reversionem militum suorum, fixit metas Regni Hungariæ. Ex parte Græcorum, usque ad portam Wacil, & usque ad terram Racy. Ab occidente usque ad mare, ubi est Spaletina civitas; & ex parte Theotonicorum, usque ad pontem Guncil, & in eisdem partibus dedit castrum confruere Ruthenis, qui cum Almo duce, avo suo, in Pannoniam ve-*



nerant; & in eodem confinio ultra lutum
Musun, collocavit etiam Bissenos non
paucos habitare, pro defensione regni sui,
ut ne aliquando in posterum furibundi
Theotonici, propter injuriam sibi illatam,
fines Hungarorum devastare possent. Ex
parte vero Boemorum, fixit metas usque
ad fluvium Moroa, sub tali conditione,
ut dux eorum annuatim tributa persolve-
ret Duci Hungariæ, & eodem modo ex
parte Polonorum, usque ad montem Ta-
tur, sicut primo fecerat regni metam Bor-
su filius Bunger &c.

II. Hactenus Belæ Notarius; cuius te-
stimonio Vngaria seculo decimo, versus
orientem & Græcorum imperium porri-
gebatur usque ad percelebrem Danubii
vel Istri Cataractam, & trans idem flu-
men sitam Serviam. Hæc Cataracta in fi-
nibus Temesiensis Banatus Istri Alveum
interrumpens navium descensum, brevibus
præsertim aquis, admodum difficultem red-
dit, ascensum vero impossibilem: qua-
propter a scriptoribus: *Porta ferrea*, ab
Vngaris vero *Vaskapu*, a Turcis autem
Demyr Kapu est appellata; *Kapu* enim
utri-

H

utrique genti commune vocabulum est, & majorem portam notat: suspicor igitur, eam Cataractam propterea vocari Portam *Vacyl* vel *Vazil*, loco *Vaschul*, Valachorum scilicet usu & pronuntiatione, Cataractam illam olim quoque fortasse, ut nunc accolentium; et si non ignorem, eandem a Valachis nunc *Porta de Fierru* appellari. *Racy* vocabulum eos Serblios notat, qui Imp. Basilii Macedonis tempore trans Istrum commigrantes non Græcorum modo religionem, sed mores etiam & vitæ rationem erant amplexi, quorum posteri a Slavicis Pannonicarum populis ad hanc usque diem Gerretzi, Gretzi & Ratzzy quoque appellantur.

III. Occidentem solem versus Regni fines ad mare usque scilicet Adriaticum porrectos fuisse, Notarius ait, eo fortasse, quod, ut jam supra brevibus ostendi, Slavici populi in Dalmatiæ insularumque possessionem, partim Græcorum Impp. beneficio, partim vero eorumdem Impp. incuria venerant, scilicet eo communī jure, quo nulla gens diutius alteri servit, quam debeat; neque diutius rem sibi ereptam do-



let ac desiderat, quam eandem recuperare possit.

IV. In finibus Regni Teutoniam versus designandis paullo obscurior visus est quibusdam Notarius; sed profecto non est, modo quis animum ad ea, quæ scribit, advertat: agit enim de ea Vngariae parte, quæ Austria finibus suis attingit; nam diserte loquitur, in eisdem Teutonicorum finibus Almum Ducem dedisse Ruthenis potestatem castrī condendi, quod profecto aliud non est, nisi *Oroszvarum*, nunc Mosoniensis comitatus vicus, ut vel nomen ipsum declarat, de quo castro pluribus agit Belius in eodem comitatu. Idem præterea Notarius ait, in eodem Teutonicorum confinio, & quidem ultra lutum, id est, lacum Mosoniensem a Zoltano Duce custodes limitis Vngarici constitutos fuisse Byssenos, qui Bysseni, id est, nisi fallor, ex veteri Bosnia illuc traducti Coloni ad hanc usque diem veteres sedes obtinent, & Slavicū se esse populum, & lingua & industria comprobant.

V. Cum igitur hæc omnia sint in Austriae finibus, pons quoque, *Guncil* dictus,
in

in eisdem finibus est querendus: equidem arbitror, aut Brukensem esse, aut certe Vimpaszingensem Leytæ fluvio impositos; nam eum ponticulum, qui Posonio in Austria proficiscentibus transitur ultimus, esse non puto, cum ea parte Vngariam seculo decimo ultra illum fuisse protensam existimem, propter eos Byssenos, qui in Austria nunc quoque plures vicos obtinent. Appellantur vero illi ab Austriae *Wasser-Kroaten*, qui, nisi fallor, *Bosner-Kroaten* appellari deberent, nisi forte id nomen eis ab Austriae datum est, quod in vicinia cum lacus Mosoniensis, tum etiam Leytæ fluvii confederint, & limitem aquis designatum custodierint: cur lacus Mosoniensis, Vngaris *Fertö* appellatus, ab Austriae, *Neufidler-See* vocetur, causam, eamque nisi fallor veram, jam superius indicavi. Ceterum hos Byssenos habuisse olim suum proprium comitem, nemmo, ut existimo, ignorat, qui una cum ceteris limitum comitibus appellatus fuit Marchio, ut ex decretis S. Regis Stephani facile intelligitur.



VI. Bohemiam versus, ait Notarius, Moravam fluvium regni fuisse limitem, latiori scilicet *Bohemorum* vocabuli significazione, qua Moravi quoque idiomatis sui causa saepe comprehenduntur. Ceterum cum Austria, tum etiam Moraviam eodem fluvio, hac etiam aetate nostra, ab Vngaria secerni, nemini ignotum esse potest. Denique Poloniā versus protensum fuisse regnum usque ad montem *Tatur*, idem Notarius testatur. Slavis, Carpathicorum montium incolis, quibus hac in re tuto fides haberi potest, ea praeципue Carpaticorum montium pars *Tatri* appellatur, quæ a Turociensi comitatu per Liptoviensem, Arvensem, Sepusiensemque &c. versus Poloniā procurrit. Ultima horum montium juga *Beskid*, vel *Beszad* appellantur, quæ vetustissimus & legitimus sunt limes Poloniā ab Vngaria secernens.

VII. Ait quidem auctor noster, Poloniā versus designatos fuisse a *Borſu*, filio *Bunger*, limites regni, quos etiam alio loco indicat, & cujus testimonio Zoliensis & Borsodiensis comitatus septentrionem versus tum erant ultimi: at vero a Zultæ

III.

III. Ducas temporibus maxima regnum incrementa ea parte accepit, institutis plurimi comitatibus & celebrioribus etiam urbibus conditis & ipso adeo regno nemine unquam contradicente, usque ad ipsum montem Beskid protenso; ut Regum donationibus aliisque fide dignissimis literarum monumentis, in deductione de septentrionali Regni Vngariae limite a me scripta uberrime comprobavi. Haec tenus de finibus regni seculi decimi ex Belae Notario.

C A P V T IV.

De iisdem Regni finibus, seculo decimo exeunte, ex Imp. Constantini Porphyrogenetti de administrando imperio Cap. 40.

I. **M**agno Juris nostri publici commodo factum esse existimem, eosdem illos limites indicatos, literisque mandatos fuisse ab laudato Augusto scriptore, cuius profecto & auctoritas & fides major etiam videri posset, nisi & res ipsa & argumenti ratio, scriptori domestico, plus hic quidem tribuen-



dum esse suaderet. Ut igitur de utriusque sententia communius certiusque judicet lector, ipsa pariter Porphyrogenneti hac de re verba hoc transcribere placet: *a Patzinacitis, inquit, pulsi Turcæ & profugientes, sedes posuerunt illic, ubi nunc habitant.* In hoc autem loco antiqua quædam monumenta supersunt; inter quæ pons Trajanæ Imp. ad initia Turcæ & Belegrada, quæ trium dierum itinere ab ipso ponte distat, ubi turris est sancti ac magni Constantini Imperatoris, & rursus ad cursum fluminis exstat Sirmium, quod Belegrada abest duorum dierum itinere; inde magna Moravia baptismo carens, quam Turcæ devastaverunt, cujusque princeps olim fuit Sphendoplocus. Atque hæc quidem juxta Istrum flumen monumenta sunt, & cognomina. Ulteriora vero, quæ omnia Turcis habitantur, cognomina nunc habent a fluminibus transcurrentibus. Eorum primum Timeles est; alterum Tutes; tertium Moreses; quartum Crisus; quintum Titza. Confines autem Turcis sunt Orientem versus Bulgari; ubi eos Ister fluvius, qui & Danubius dicitur, separat; Septentrionem

ver-

*versus Patzinacitæ; ad Occidentem Fran-
ci; ad Meridiem Chrobatii &c.*

II. Hactenus Porphyrogenitus; cui profecto magnæ habendæ sunt gratiae ab omnibus, quibus res patriæ ac jura nostra, præcipue publica, sunt curæ; nam hoc ejus de nostri regni finibus testimonium ipsius Zultæ, Ducis III. ætate editum, si cum illo Belæ Notarii diligenter comparetur, parum certe aut nihil relinquet, quod quis ad perfectam seculi decimi finium cognitionem regni nostri desiderare possit. Belæ quidem Notario in nonnullis quibusdam cum Porphyrogenito non per omnia convenit, ut neque huic cum illo; sed nullum dubium est, quin hic dissensus partim in temporum, partim vero locorum intervalla conferri debeat. Vixit enim Porphyrogenitus seculo, ut dixi, decimo; Notarius vero noster vel seculo duodecimo exeunte, vel certe sub initia decimi tertii, ut communior est historicorum nostrorum opinio.

III. Porphyrogenitus præterea sua scripsit Constantinopoli; noster vero auctor in Pannoniis: his igitur causis factum esse arbitror, ut Porphyrogenitus de vicinioribus



ribus sibi quam Belæ limitibus scriberet accuratius. Multo præterea Porphyrogenetto inferior est auctor noster, quod scilicet de seculo decimo scribens, nonnulla quædam ex suæ ætatis opinionibus literis mandarit; nihil tamen ea laude Augusto scriptore inferior, quod de Teutonicis Polonicisque finibus multo diligentius quam ille tractarit: quæ omnia ut clarius perspici possint, utrumque scriptorem inter se conferre comparareque placet.

IV. Prima igitur Turciæ, id est Vngariæ, initia, Trajani pontem Porphyrogenetus statuit. Ejus pontis verum situm primus omnium commonistravit Marsiglius in præstantissimo illustrati Danubii opere, quo etiam autopta teste distabat is pons secundo Danubio, a Belgrado trium dierum itinere; a Cataracta vero, vulgo Porta ferrea, dicta, de qua jam superius egi, remotus erat italicis milliaribus quinque. Dissentire hic Porphyrogenetus a Notario quibusdam est visus, et si, ut mihi quidem videtur, amissime consentiant; nam Porphyrogenetus ea ætate, qua pons adhuc erat integer, scribens, eundem, tanquam nobilius monumen-

men-

mentum pro termino finium Turciæ habuit; contra Belæ Notarius, everso aut abolito eo ponte, nullum aliud nobilius certiusque habere poterat, nisi Cataractam, mirabili sua struētura & gravibus periculis longe lateque claram.

V. Quidquid autem hac de re quis statuat, certum tamen semper atque exploratum erit, seculo decimo initia regni Vngariae inter pontem Trajani & Cataractam fuisse; initia, inquam, Porphyrogenneti testimonio, quo præterea belle confirmatur opinio mea, qua duc̄tus, Vngaros nostros per Septentrionalem Istri & Danubii ripam in Pannonias commigrasse asserui.

VI. Alterum a Notario omissum limitem Porphyrogennetus indicat, cum ait: *confines autem Turcis sunt Orientem versus Bulgari; ubi eos Ister fluvius, qui & Danubius dicitur, separat: ex quibus clarissime cognoscitur, Vngaros nostros ea aetate omnem eam regionem, quae nunc Valachia dicitur, imperio suo tenuisse, & septentrionalem Istri ripam, imperii fortasse Græci reverentia, religiose pro limite habuisse.*

VII.



VII. Idem Porphyrogenetus Turciam septentriones versus Patzinacitis fuisse confinem ait, id quod Notarius silentio præterit. Sunt vero Patzinacitæ illi ipsi populi, quos *Petschenegos* appellat Nestor in Annalibus Russicis, & quos nunc satis constat ejus Turcici generis fuisse, qui nunc *Tatari* olim *Cubani* aut *Cumani* appellabantur: Hi igitur erant limes Turciae septentrionalis, occupatis scilicet vicinis Moldaviae regionibus & Vngaris ipsis ex Moldavia depulsis.

VIII. Præter ea Porphyrogenetus reæ memoriae prodidit hæc: Turciae tum ad meridiem fuisse *Chrobatos*, quod certe genuinum est: Croatae enim, eo tempore, longe lateque, & ad mare usque dominabantur, ut ex Farlatio, tametsi id dextre persæpe dissimulet, facile intelligi potest. Cum igitur Belae Notarius Turciam ætate sua ad mare usque jam fuisse protensam scribit, opinionibus sui temporis & regni statui inservire censendus est, quam etiam solam ob causam paullo superius eidem hac quidem in re ascensum non denegavimus.

IX.

IX. Denique idem Porphyrogenitus ab Occidente Vngaris Francos fuisse confines afferit, quo nomine Austriacos ab illo intelligi nemo dubitabit, qui sciat, omnes ceteros Europæ populos a Constantinopolitanis Francos fuisse dictos, quam loquendi consuetudinem a Græcis acceptam nunc quoque Turcæ retinent, tametsi eisdem gentilia Europæ populorum nomina non sint ignota.

X. Ad nomina fluviorum, quæ Porphyrogenitus memoriae prodidit, quod attinet, ea profecto nobis luculentam accendere facem, ad quam vetustissimas veterum Vngarorum fides possemus videre: orditur vero eosdem recensere ab initiis Turciæ, quam ob causam Temesis primus est; deinde Tutes; tum Marusius; postea Crisius geminus, ac denique Tibiscus. Ignota igitur adhuc Porphyrogeneto fuit Vngariae in Transilvaniam & Vngariam divisione; diserte enim ait: Turciæ, id est Vngariae ad septentriones fuisse Patzinacitas, qua loquendi ratione clarissime indicavit: Transilvaniam & Vngariam unum idemque regnum fuisse.

XI.



XI. Ceterum adhuc obscurum manet, manebitque, quisnam re ipsa fluvius intelligi debeat, qui a Porphyrogenneto *Tutes* appellatur; nam cum a Temesi primum locum occupet, & Marusium praecedat, eisdem quoque in locis quærendus esset; sed hunc Porphyrogenneti locum a librariis depravatum fuisse observatum invenies in adnotationibus ad eundem locum a præstantissimo Bandurio Anselmo scriptis.

Atque hæc sunt, quæ de finibus regni nostri, quales seculo decimo exeunte fuere, dicenda habui.



Ung. II 275

Z

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



ADAMI FRANC. KOLLARII,

*Equitis Vngari de Kereszteny, Consiliarii
actualis aulici, Aug. Bibliothecae Directo-
ris & Academicæ Scientiarum elegantio-
rumque literarum Theodoro-Palatinæ
Socii extraordinarii*

HISTORIAE IVRISQVE PUBLICI
REGNI VNGARIAE
AMOENITATES.

A D

EXCELLENTISSIMVM DOMINVM
ANTONIVM COMITEM KAROLYI
DE NAGY - KAROLY,

Complurium Hereditorum Dynastam, Augusti Impe-
ratoris Iosephi II. Consiliarium intimum, Diuae
M. Theresiae Aug. militaris Ordinis minoris
crucis Equitem, et vnius Legionis Vngaricae
Tribunum, &c. &c. &c.

VOLVMEN I.

VINDOBONAE,
TYPIS A BAVMEISTERIANIS.

CLCCLXXXIII.